




GAUDEO







LUGD. BATAVOR.
Apud Abraham. Commelinum . *et*
D. Lopez de Haio . 1643 .



ELENCHUS CAPITUM.

CAVSA

CAUSÆ ODII PUBLICI REGIS ET GENTIS HISPANICÆ

CAPUT PRIMUM.

Hiſpanorum in Religionem & Proteſtantes Odium.

NE Iliada poſt Homerum ſcribere velle videar, non jam Martyrologium, quod unicum ſatis eſſet capitis hujus inſcriptioni ſtabiliendæ, auctius faciam; nec etiam hiſtorias Belgici belli, præſertim ejus, quod Duce Albano geſtum, compilabo: ſatis eæ notæ: ſatis etiam earum abundans copia. Hoc modo dicam, & hoc propter eos; Qui clementiores ſibi, (quod imaginantur ſibi, ſe pacificationi religionis, excluſis iis, quos invidioſo nomine Calviniſtas indigitare ſolent, incluſos) Hiſpanos futuros putant, quam Reformatis, quos vocant; eos maximo in errore verſari: Eodem omnes habent Hiſpani loco, qui aliud quam ipſi, ſive religionem, ſive ſomnorinam ipſorum Monarchiam concernat, ſentiunt. NB.

1. Nota est Ducis Albani in Belgas reformatæ religionis exercita crudelitas, sicuti ipse jactarit sub „ exodium vitæ, *suo jussu, manu Car-* „ *nificis, diversi supplicii modis confecta* „ *esse plura, quam octodecim millia ho-* „ *minum, religionis causa.*

2. Philippus secundus *Maximiliano* laudandæ memoriæ Cæsari patrueli, qui eum, misso in Hispaniam Carolo fratre ad moderationem in religionis negocio, hortabatur, sine ulla tergiversatione re- „ spondit; *Malle* se omnium provin- „ ciarum jacturam facere, quam com- „ mittere, ut quicquam, quod ad „ Catholicæ Religionis detrimentum „ pertineret, indulsisse videretur. Thuanus lib. 133.

3. Hispani in pacificatione Coloniensi an. 1580 dicere solebant; „ *Benè* cum protestantibus actum iri, „ si eos, tanquam Iudæos, atque adeò „ Zingazos, Nubianos, qui ubique er- „ rones sine lare & foco exagitantur, „ omnibus bonis spoliatos, cæterum „ salva vita, novas terras quærere co- „ gerent.

4 Multo mitius anno 1605 cum Civibus Aquensibus actum fuisset, si

per

per importunas Regis Philippi oratorum prenſationes licuiſſet: ut teſtatur Thuanus: l. 133.

5 Ceperant aliquando Hiſpani Gallos in Inſula Florida, & eos omnes ſuſpenderunt, cum titulo. *Hoc* „ *non facio tanquam Gallis, ſed tanquam* „ *Lutheranis.* Camer. horis ſubceſſivis c. 98. „

6 Cum anno 1577. Colloquium, urgente Cæſare, inter regios & *Ordines* inſtitutum fuiſſet, Regii hoc unicè urſerunt, ut excluſa omni al- „ terius religionis libertate, Catholi- „ ca admitteretur in Belgio. Quod cauſa fuit diſſoluti, re infecta, colloquii.

7 Quid quod non ſilentio prætereunda comitis Bructerorum calamitas, cujus arcem Admirantus nullo jure occupavit, ipſum captivum tenuit, uxorem ejus cum liberis ejecit, bona diripuit, ruſticos ibi inventos interfecit, comitem etiam ipſum, contra datam fidem, una cum cognato & concionatore, nefarie interfecit. Audis quo colore: *Nimirum reformatæ religionis, quam* „ *ille conſtantiſſimè profeſſus, nec ullis mi-* „ *nis ab ea dimoveri ſe paſſus eſt, odio.* „

Vide speculum Arragonicum, nec non speculum Tragicum.

8. Philippus rex Hispaniæ anno 1590. Madritii VIII Idus Martii Edictum proposuit, quo declaravit, *se post purgatam Franciam, arma in omnes eas provincias, quæ peste sectaria infectæ essent, conversurum.* Ancellus apud Thuanum l. 118. Oratione ad principes Germaniæ, anno 1570. Ubi verba Diplomatis etiam recitantur.

9. Si nullum aliud Exemplum suppeteret odii Hispanici, erga Euangelium & Euangelicos; satis Exempli esset, factum illud crudelissimum Alphonsi Diazii Hispani, qui fratrem suum Joannem Diazium Euangelicam doctrinam amplexantem per Carnificem suum curavit trucidandum anno 1546. Et quamvis actio in eum fratricidam instituta fuerit, tamen Cæsaris literis intervenientibus impunitatem consecutus est.

Diazii exemplum.

10. Rex Hispanus per Ducem suum Parmensem, Senatum Aquensem urget, ut reformatæ religioni addictos, urbe pellat, fatente id Petro Beck Canonico Aquensi cap. 13.

cap. 13. Comment. sui de Urbe Aquensi.

11. Cardinalis Granvellanus sæpius ausus est jactare, *velle se catholicam vel papisticam religionem omnibus in locis reducere, licet* 100000 *homines una hora essent exurendi: Et velle se initium facere à Saxone & Auraico.* Caspar Grevinus in sua institutione. p. 192.

12. Maximilianus II. Imperator fidelissime monuerat, rogaveratque Regem Hispaniæ, ut mitius cum Belgis in causa religionis ageret, sed nihil potuit obtinere, ut ipse in Epistola quadam ad Lazarum Swendium scribit, anno 1579. 22. Februarii, Vienna. legitur ea epistola l. 16. Apophth. Baudartii. Videatur etiam Speculum Hispanicæ tyrannidis in Belgio per totum.

13. Et quis unquam majus tyrannidis barbaricæ & odii in religionem factum vel vidit, vel legit, quam quod instinctu Iesuitarum Archidux Albertus commisit, in virgine quadam Anna *von dem Hove*, Bruxellis, quam vivam in terram defodiendam, & ita suffocandam curavit, Martyrologium, Metteramus,

nus, Spec. Hisp. tyrannidis in Belgio. p. 91. 93.

14. Odii in Proteſtantes & *Lutheranos*, inprimis verò in hos, Hiſpanorum, ſufficientiſſimum teſtimonium hoc eſſe poteſt, quod quando aliquem extremè volunt dehoneſtare, vel nomine injurioſo afficere, eum appellant *Vielliaco Lu-*
NB. *therano*, id eſt, Nequam Lutheranum, ſicut vel hac ignominia ii, qui Lutherani dici gaudent, voluntque, ſatis doceri poſſint, quid ſuppreſſis proteſtantibus, quibus non minus, quam papiſtæ alii adverſantur, ipſis ab Hiſpanis ſperandum ſit, Nempe quo aheno Proteſtantes elixarunt, in eodem illos ab iis aſſandos.

15. Cum poſt bellum Smalcaldicum, & captum Saxoniæ Elect. Ioannem Fridericum, Witteberga Carolo V. eſſet dedita, Hiſpani à
NB. Carolo V. petierunt, *ut liceret ſibi*
„ *cadaver Lutheri effodere & cremare.* ſed
„ Carolus V. recuſavit, dicens, *ſinite*
„ *eum quieſcere, ſi male fecit, Deus vin-*
„ *dex & ultor erit, Cæſar ſum vivorum,*
„ *non mortuorum.* addidit etiam: *Si-*
„ *nite eum in pace: Ego eum non cupio*

iterum

iterum videre. vidi illum ſatis Vuormatiæ. Zincgreſius p. 2. apoph. p. 11.

16. Carolus V. Hæreticos & Lutherum confeſtim poſt comitia Auguſtæ habita ſub alio prætextu technis opprimere debuit. Thomas Campanella Hiſpanus Monachus Diſcurſu de Monarchia Hiſp. c. 16.

17. Primo omnium erratum eſt, quod Lutherus in Comitiis Vormatienſibus & Auguſtanis vivus dimiſſus eſt. & mox: Dico, recte quidem promiſſa Luthero ſervavit Carolus V. in ipſis Comitiis, at poſt in domuitione illum eundem opprimere debuiſſet, atque principes proteſtantes jam ſuppreſſos plane exſtinguere. Idẽ Campanella c. 27.

18. Pacem ad tempus concedendam, & interdum epulis magnificis demulcendos ait Campanella hæreticos. c. 27. Peccatum ait Campanella c. 16, quod Carolus V captas regiones Saxonis, Marchionis Brandenburgici, Landgravii Haſſiæ &c. non denudarit habitatoribus, educendo populos, & iis pro mancipiis utendo, novaſque colonias ibi duxerit, civitatibus liberis privilegia adimendo non ſuppreſ-

ſerit. capite decimoſexto. Referri hæc etiam poſſunt ad caput vigeſimumſecundum de Hiſpanorum odio in Germanos.

19. Quo fine Gothi, Itali, Hiſpani conjunctim contra illos (proteſtantes in Germania) conſpirare debent, illorum ſubjugatorum ſectas funditus eradicare, novasque colonias in illorum locum mittere. Idem capite 1.

Caput II.

Prævaricationes Hiſpanorum circa Pontificem & ejus Electionem.

Forte tibi, lector, mirum videri poterit, quod in Catalogo prævaricationum Hiſpanicarum in omnes mundi proceres, & regna, etiam in Nomenclaturam earum Pontifex Romanus veniat, & quidem ſecundo loco, & in ipſa ferè fronte primum agmen ducat. Sed ſcire te velim, eam eſſe gentis ambitionem, & Monarchiæ ſuæ Conceptionem, ut nec ipſi *ſanctiſſimo patri*, ut voti compotes fieri poſſint, parcere ſuſtineant, nullo reſpectu

ſanctitatis

ſanctitatis ipſius, nulla etiam conſi-deratione habita, quod filii ab ejus ſanctitate, & tantum non catholi-ciſſimi, dilectiſſimi, & quaſi primo-geniti appellari conſueverint. At-que hæc ipſa cauſa eſt, quod ſecun-do hoc loco Hiſpanicas prævarica-tiones in S. S. ſtatuere & apparere volui. Noverit itaque benevolus le-ctor, Hiſpanos in Electione novi Pontificis unice una id operam da-re, ut vel Hiſpanus, vel certe rebus Regis Hiſpaniæ favens eligatur. Plurimis id doceri poteſt exemplis. Inprimis vero hujus rei exemplum exhibet annus 1591. quo poſt Ur-bani VII. mortem ſumma concer-tatio fuit inter Cardinales de Ponti-fice; dum nimirum Hiſpani Ponti-ficem ſuis partibus juratum eligen-dum volunt; etiam pervicerunt, ut Nicolaus Sfondratus, Hiſpani jura-tiſſimum mancipium, eligeretur. Thuanus.

2. Idem uſu venit 1592. poſt Innocentii IX. mortem; ubi libera electio iterum per Hiſpanos impe-dita; Hiſpani partes Lud. Madru-cio ſuſtinente. Ubi etiam M. Anto-nius Columna orator Philippi, ipſe

conclave ingressus, eo consilio, ut Antonius Sanctius, antequam Conclave clauderetur, Pontifex nominaretur, & crearetur. Cui tamen Franciscus Sfortia & Columnius Sfortia se mascule opposuerunt, vim contra vim minantes & parantes, addentes, *fore ut cruor ex conclavi ad S. Petri Basilicam per gradus dimanaret.* Multa contumeliosa in Sanctium congesta. Divisi igitur Cardinales, diu concertarunt. Intervenerunt præterea pecuniariæ corruptiones, à factione Hispanica, usque dum tandem Hippolytus Aldobrandinus eligeretur. Thuanus lib. 103.

3. Hispani hodie per factiones suas in aula Pontificia (regnant: etsi non eos, quos volunt), quoniam nimia magnitudo eorum suspecta est plerisque, Pontifices efficiunt, saltem quos nolunt ad hoc fastigium, quo minus enitantur, per ambitiosas prensationes impediunt. Austriaci autem eo gratiæ gradu Romæ sunt, quod S. sedis senatui persuasum sit hodie, religionis conservationem & S. sedis dignitatem ab iis pendere. Thuanus lib. 134. Ideo

mortuo Clemente V. Hiſpani, veriti, ne Cæſar Baronius, Cardinalis nobilis, Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptor, in Pontificem eligeretur, contra ipſum querimoniam, Clemente ſuperſtite jam inſtitutam, revocarunt, ſuppoſitis Laurentii Suarezii Figerę Ferię ducis, Sicilię proregis, literis, à Ptolomæo Gallo, Cardinali Comenſi, Collegii Decano, in congregationem allatis, & à Franciſco Mexia Avila, Hiſpano Cardinali, quia vernacula lingua ſcriptæ erant, recitatis. Quibus recitatis Baronius, qui aderat, non mediocriter excanduit, & centonibus ex ſacra ſcriptura petitis, more ſuo, ſtatim reſpondit. Et melius eſt, „ inquit, mihi mori, quam ut evacue- „ tur gloria mea. Erat autem locus ex „ XI. Annalium, ubi ſcripſerat, *Ius, quod Reges* (Hiſpaniæ) *in Siciliæ Monarchia ſibi vindicarint, falſis ſuſpectiſque teſtimoniis niti, &c.* Vide Thuan. l. 134. Et licet Baronius ſe Regi excuſarit, poſt tamen, cum Baronii opera Antwerpiæ excuderentur, XI. tom. prohibitus eſt; & exemplaria, quæ Romæ excuſa erant, in regnis Hiſpanię Regi ſubjectis prohibita.

C. Baronius.

4. Miranda eſt quorundam Catholicorum ſtupiditas, qui nil non in gratiam Hiſpanorum faciunt, cum tamen Hiſpanis nil ſolennius, quam vel ipſum Pontificem ſtrophis ſuis circumagere, ut ſatis liquet in Controverſia Luſitana anno 1579. Cum Pontifex per Philippum Segam, ſuum apud Philippum oratorem, auctoritatem interponere voluit, petens, ut ſibi rei, inter ipſum & Henricum componendæ, arbitrium deferretur: gratum in ſpeciem ſibi initio officium Pontificis eſſe ſimulavit Philippus, Joannis Sylvæ conſilio uſus; & uſque dum cum Henrico tranſegiſſet, variis protelationibus urgentem Segam ludificatus eſt. Thuanus l. 69.

5. Pari ratione idem Philippus Alexandrum Riarium Cardinalem pontificis nuncium eluſit, & Pontificem in cauſa regni Portugalliæ judicem agnoſcere noluit. Thuanus lib. 70.

6. Sed nunquid, Roma à Caroli V. exercitu 1527. 6. Maii capta, direpta, divexata, Clerus & Pontifex in Capitolio ſe dedere coactus, & magno ere nempe quadringentis millibus

millibus aureorum, (nummus etiam cusus gratulatorius cum inscriptione, IN SPEM PRISCI HONORIS. Luckius pag. 64.) numerato, se redimere coactus est? quæ decima quarta occupatio urbis fuit. De ea re Erasmus epist. 26. lib. 22. ait, Pontificem Clementem inclementissimè tractatum fuisse. Excusavit quidem Cæsar, id se inscio factum. Sed solenne est genti Hispanicæ, vel negare sua scelera, vel foliis ficulneis undiquaque consarcinatis ea palliare, & excusare.

7. Cum Hispani Perezium ex templo, quo confugerat, extraxissent, nuncius Apostolicus, ut templis privilegia sua sarta manerent, institit, ut Perezius templo, unde abreptus erat, restitueretur, sed nihil potuit efficere. In relatione rerum Perezii pag. 31.

8. Prorex Siciliæ, sive Neapolitani regni, quemdam ex primoribus ejus regni; qui Pontificem cognatione attingebat; frustra Pontifice intercedente, morte affecit.

9. Quomodo Hispani Censuram Urbani VIII, in Pozam Jesuitam latam, eluserint, docet pro-

lixe Alphonſus de Vergas in relatione ſua. Videatur etiam appendix ad eam relationem.

10. Ait Thomas Campanella Hiſpanus monachus Dominicanus "diſcurſu ſuo de Monarchia Hiſpa- "nica, cap. 6; *Elaborandum erit, ut* "*habeamus papam Hiſpanum, aut potius è Domo Auſtriaca.*

11. Hiſpanos non eam reverentiam & reſpectum quem præ ſe ferunt pontifici Romano præſtare, ſed ejus authoritate ad ſuam utilitatem abuti, non obſcure innuit Ancellus oratione quam habuit ad Proceres Imperii 1597. quam infra ſub finem hujus tractatus ex Thuani lib. 118 deſcriptam leget benevolus lector.

12. Hiſpani, quem non moverunt lapidem in Electione Clementis VIII ? ut eo extruſo, magis Hiſpanis addictus eligeretur, & in primis Sanctorius. Sed nihilominus electus fuit Clemens, qui poſtquam Henricum quartum Regem Galliæ "anathemate exſolviſſet, Hiſpani a- "perte dixerunt, *Papam pejorem, &* "*magis hæriticum eſſe illo, quem abſolviſſet : ideſt*, Henrico quarto. Pe-

rionius

rionius in epiſtola ad Henricum quartum. Thuanus.

13. Cum Leo electus eſſet Papa, admodum Hiſpani reclamarunt, præſertim Cardinalis de Avila, qui nominato Leone Pontifice, voce qua poterat intenſiſſima exclamavit: *Proditio, proditio, proteſtor, proteſtor, Eſt inimicus Regis Catholici.* Perionius in epiſtola ad Regem. Hulſius in Leone XI. Quin Papam volebant veneno tollere. & non admodum à vero abludit. nam tantum 25. dies ſuperfuit. & notæ ſunt artes Hiſpanicæ.

14. Pari modo in electione Urbani VIII. Hiſpani ſe geſſerunt. Cujus electionem, cum non potuiſſent impedire, libellum famoſum Romæ emiſerunt, quo interrogabant, *Num* PAPA ESSET CATHOLICVS? Ei Paſquillus reſpondit, *Tace tace, eſt Chriſtianiſſimus.* Et in Papæ inſignia ſic luſerunt.

Mella dabunt Gallis, Hiſpanis ſpicula, verum
Spicula ſi figunt, vita cum melle carebunt.

Sed

Sed alius contra:

Vrbani Imperium, vis dicam, qualē futurum?
Dum dominantur apes; copia mellis erit.

CAPUT III.

Hispanorum erga reliquos Catholicos prævaricationes, & excessus.

INstituti mei ratio, quo mihi proposui tantum, quasi per indices eundo, summatim prævaricationes Hispanorum indicare, non patitur, ut ad lemma hujus capitis confirmandum, integras historias excessuum & prævaricationum Hispanorum erga ipsos Catholicos recenseam. Sâtis erit historias obiter, & authores, qui eas prolixius scripserunt, indicasse.

1. Quomodo papam & reliquos Catholicos Caroli quinti Miles tra- *Roma capta.* ctarit capta Roma anno 1527. 6. Maji, in quo conflictu ultra 5000. ex exercitu Pontificis cæsi sunt, Urbs aliquot diebus direptioni & libidini militum concessa, bona omnia, sacra, profana, ablata, Pontifex ab ipsis obsessus, delusus; in sum-

ſummaſque anguſtias redactus, uſque dum magna vi pecuniæ numerata ſe ab iis redemit, omnes hiſtoriæ vocaliter clamant, inprimis Paulus Jovius.

2. Cum bellum 1580. in Portugallia flagraret, præter alia, in Catholicos & clerum ipſum crudeliſſime ab Hiſpanis deſignata, etiam Rochi Fanum prope Almedam, quod Jeſuiticum collegium, quo multi pretioſiora ſua, ſpe loci, religione, & Jeſuitarum reſpectu, uti ibi ea tuta, tranſtulerunt, ab Hiſpanis, pulſis inde Italis, captum, ſpecie amicitiæ, quaſi ad ſervandum locum à Ducibus eo miſſi eſſent, & partim vi, partim furto ſublata, in proximam claſſem avecta ſunt. Thuan. l. 70. Plurimos ex clero, qui Hiſpano regnum Luſitanicum invadenti non applaudere voluerunt, occiſos, & è medio ab Hiſpanis ſublatos, pariter hiſtorici, qui bellum id ſcripſerunt, non tacuerunt. *Bellum Portugallenſe.*

3. Cum anno 1532. Carolus V. ductu Antonii de Leva milites ſuos Hiſpanos contra Turcam mitteret, Hiſpanus miles omnis generis nequitia, avaritia, libidine, erga Catholi-

tholicos in Auſtria uſus eſt. Urbes incenſæ, direptæ, non aliter, ac ſi cum aperto hoſte res eſſet, actum.

4. Quis non obſtupeſcat, & cui non comæ ſtent, voxque faucibus hæreat, & gelidus coeat formidine ſanguis, qui direptionem urbis Antverpianæ anno 1576. à Thuano lib. 62. deſcriptam legit? quo tempore illud Hiſpanorum vulgare cœpit eſſe dictum, quo utebantur ad eos, qui ſibi ob eandem, quam cum Hiſpanis profitebantur religionem, „ parci petebant: *Si habetis bonam fi-*
„ *dem, illa eſt pro animabus veſtris, ſi ha-*
„ *betis multum pecuniæ & nummorum,*
„ *illa ſunt pro nobis & loculis noſtris.*

5. Nota eſt elegantia latini Sermonis, & formula damnatoria, qua Inquiſitor Hiſpanicus *Vargas* uti ſolebat, quando vini & ſomni plenus accuſatos modo, non viſos, non auditos, omnes pari navi & pari in-
„ fortunio eſſe voluit, dicens; *Hære-*
„ *tici franxerunt templa & ſimulacra,*
„ *Catholici nihil fecerunt contra, ergo*
„ *utrique debent patibulari.*

6. Nec multum abludit ab his Dicterium Ducis Albani à Thuano
„ relatum l. 42. *Pluris unius ſalmonis*

caput

caput esse, quam quinquaginta ranarum. Apud Albanum enim locum habebat illud: Tros Tyriusque fuat, nullo discrimine habendi. sint protestantes, sint Catholici, si hispanizare nesciunt, &c. medio tollantur.

7. Id quod Egmondanus, Hornanus, Montinus, & alii proceres cum damno suo experti.

8. Expertum quin totum Belgium Catholicans.

9. Testes tot urbes captæ, direptæ, incolisque suis viduatæ.

10. Testes adhuc hodie Urbes illæ, quæ præsidio Hispanico oneratæ, tantum non ad ultimas incitas variis exactionibus, pressuris, & oneribus aliis rediguntur.

11. Testis Clerus Lusitaniæ regni, olim; & hodie testis Cataloniæ regnum, ut jam Arragoniæ, Siciliȩ, & Neapolis, regna non dicam. Testes nonnulli Episcopi Imperii, ex quibus unus ad alium magni nominis virum erupit in hæc verba:

12. *Video & prævideo, quod Hispani nihil magis desiderent, quam ut Nos, & alii Episcopi, vitam quam primum resignemus, & iis nostros Episcopatus, infulas, per testamentum legemus. Sed quid*

" *quid legemus? imo jam vivis nobis eas*
" *detrahere, & sibi imponere satagunt.*
" Addiditque, *Non satis est ipsis, quod*
" *Electoralem invaserint terram, etiam*
" *nostras aras conscendere, & juxta D.*
" *Mariam, & ejus infantem, se collocare*
" *volunt.* Non opus est, ajebat, longe abeamus; Archiepiscopus Trevirensis, & Abbas S. Maximini, experti testari possunt, &c.

13. Philippus II. Hispaniæ rex in gratia sua, iis, qui contra ipsum steterant in Portugallia, facta, sem-
" per excepit *sacras personas, sic ut cun-*
" *ctis libertatem fecerit eos occidendi,*
" *& severe in eos animadvertendi;* Bello enim illo (Portugallico) confecto, constitit, ad bis mille ex sacro ordine, in Insulis, & in Lusitania, ferro, aut alia peste, ob belli hujus causam periisse. Thuanus lib. 75. anno 1582.

14. Philippus II. Caroli filius Archiepiscopum Toletanum omnibus bonis privavit, etiam veneno tollendum curavit, quia dixerat, & constanter quidem, Caroli V. con-
" fessionem ultimam fuisse, *Se in solo*
" *merito Christi confidere.* Baudartius lib. 16. Apoph. Ubi etiam recense-

tur.

tur contemptibile Epitaphium Carolo V. factum:

Hic jacet intus Carolus quintus.
Ora pro eo bis vel ter, Ave Maria, & Pater noster.

15. Anno 1576. in illa furia & direptione Antverpiensi, ab Hispanis excitata, in qua nulli, cujus cujus religionis fuerit, parcitum, Hispani per fora & plateas discurrebant, clamantes, quantum poterant voce maxima, *Todo, todo, todo, denieros, & non palabres*, id est, *Totum totum volumus, nummos, non verba volumus.* Bombardis & armis januas & fenestras perfringebant. Clamantes, *fuora fuora veilliacos.* Unus ex primariis curabat pulvinari suo hæc verba intexenda: *Castigador dos los Flamengos.*

16. Mechliniæ omnem sacram supellectilem Episcopi Mechliniensis & Namurcensis diripuerũt; damnum æstimatum fuit aliquot millionibus auri. Speculum Hispanicæ tyrannidis in Belgio, pag. 41.

17. Oudenardæ ipsi aliquot è clero in aquas præcipitarunt. ibid.

18. Suam etiam crudelitatem sa-

tis

tis in ipsos Catholicos testatam fecerunt Hispani, cum Admirandus Arragoniæ Westphaliam, Episcopatum Monasteriensem, Paterbornensem invasisset, nec ipsi etiam Episcopatui Coloniensi pepercisset. Vide Speculum Arragonicum, & speculum Hispanicæ tyrannidis in Belgio. pag. 99, 100, 101, &c.

19. Hispani sua crudelitate plus in India nocuerunt, quam religiosi profuerunt, causa etiam sæpe fuerunt quod religiosi ab Indis occisi, & male tractati fuerunt, sicut Bartholomæus de Casa docet in speculo suo Hispanicæ tyrannidis in India. quin, ait idem, non posse Hispanos ferre; quod isti religiosi ibi sint & doceant, quia per hoc Indi ipsis non ita servire possunt, & melius de re ipsa informantur: imo ægre ferunt, aliquem ad Christianam fidem converti. Idem.

20. Insignia gentis Hispanicæ exempla prævaricationum in Catholicos & clerum, allegant proceres regni Cataloniæ in querela sua catholica, præsertim cap. 4, 10, 12. Vide infra caput de Cataloniæ regno relata nostra.

21. Nojo Moncata, qui primus inviolatum antea, ab ipſiſque Gothorum temporibus templum Romæ in Vaticano Petro & Paulo Romanæ urbis tutelaribus dicatum profanavit, Hiſpanus fuit. Jovius in ejus Elogio.

22. Hiſpani templa ad ſuam ſalutem pro aſylis habent, ſi tamen ita libet, perſonas alias eo refugientes, nulla religione loci ſacri vel privilegiati habita, eos inde vi extrahunt, & abducunt. Exemplum in Perezio infra in regno Arragoniæ habebit lector. Et anno 1640. prorex Neapolitanus quendam Magnatem Neapolitanum ex templo extractũ, capitali ſupplicio affecit.

23. Anno 1633. Dux Arſchotanus à Sereniſſima in Hiſpaniam miſſus, ut regi miſerum ſtatum provinciarum demonſtraret. ſed non obſtante, quod à Sereniſſima miſſus cum literis Salvi conductus, quod pontificius, in cuſtodiam datus, nec unquam in Belgium reverſus eſt. Caci antrum antrum eſt Hiſpani. Facilius eo itur, quam reditur. Pertinet hoc exemplum etiam ad cap. 9.

CA-

Caput IV.

Hispanorum Inquisitio.

PAndora hæc omnia mala in mundum invecta, ne ipsi quidem sinceriores & prudentiores Catholici negare sustinent: quantumvis etiam eam Patres Synodi Tridentinæ defensum eant, Hispanique tanquam Palladium aliquod divinum, absque qua si esset, ipsorum religio evestigio corruitura esset, adorent. De ea sic Thuanus lib. 104.

" 1. *Inquisitio est judicium in Arragonia ad enervanda patriæ libertatis jura, à regibus in eos, qui publica munera gesserunt, excogitatum.* Inquisitores genus hominum plusquam Scythicum, ad pœnarum artes supra omnes Phalarides ingeniosum, nihil satis acerbum existimavit, quo corporis mollitiem & teneros artus vexaret, nec ætati parcens, nec sexui. Robbertus Abbatius. Inquisitorium hoc terriculamentum, ut à se amolirentur Ulyssiponenses, Philippo vicies & quinquies centena aureorum CIↄ, uti ait Author libri de

de Inquisitione, non ut inquisitio „
omnino tolleretur, sed ut in terri- „
bili Jurisdictione hoc temperamen- „
tum servaretur, nemo ut in carce- „
rem conjiceretur, nisi prius edito „
Accusatoris nomine, & criminis ca- „
pitibus expressis, quo is, qui postula- „
batur, his acceptis, ad responden- „
dum, antequam damnaretur, se pa- „
rare posset: Et in summa, ut reus, „
antequam ferretur in eum senten- „
tia, sicuti in aliis judiciis fieri solet, „
audiretur. Verum Inquisitores his „
cancellis suam terribilem potesta- „
tem circumscribi passi non sunt; „
Nullis quippe limitibus inclusa ad „
explicandam jurisdictionem libe- „
rius evagatur, & hoc in se privile- „
gium habet, ut hominum vilium, ac „
suspectæ fidei testimoniis, quorum „
in causis aliis ratio nulla haberetur, „
fidem faciat: Hac arte Insubribus, „
& Neapolitano regno labefacta- „
ta libertas: Arragonum infracta „
jura: Ulyssiponenses & Lusitani „
sensim exarmati. Author anonymus „
ad ordines Belgicos anno 1605.
apud Thuanum lib. 133.

2. Consilium Albani fuit, Bel- „
gio in duram Servitutem redacto, „
 extinctis

extinctis proceribus, arcem in eo, sive *Inquisitionis Hispanicæ*, sive Tyrannidis statuere, ex qua ad Germanorum, Anglorum, & Gallorum, perniciem exercitus mitteret, specie religionis constituendæ, revera ad Monarchiam suam, quam jam pridem Hispani meditantur, totius orbis Christiani cervicibus imponendam. Dum hoc illi agunt, nihil consilio detestabile, nihil horrendum facto, improbum exitu putant, quod non sibi impunè liceat. Indicio sunt *Montinius*, & *Bergensis*, publica fide in Hispaniam, Margarethæ Parmensis permissu profecti, & indigna morte affecti, tot proceres securi percussi, & plus 20000 innocentum hominum carnificis manu mactati. Ordines in Responsione ad Regem Daniæ 1597. Thuanus l. 119.

3. Perversa & præpostera judiciorum (Inquisitionis) forma, contra naturalem æquitatem, & omnem legitimum Ordinem, in Jurisdictione illa explicanda observatur, tum etiam immanitas tormentorum, quibus plerunque contra veritatem, quicquid delegatis judicibus

bus libebat, à miseris & innocentibus reis per vim extorquebatur. quo fiebat, ut non tam pietatis tuendæ causa eam inventam dicerent, cui alia via satis ex antiqua Ecclesiæ Disciplina prospectum esset, quam ut eversis ista ratione omnium fortunis, liberis, capitibus periculum crearetur. Thuanus l. 3. Ubi etiam recenset, quomodo Inquisitores Dominicani à Neapolitanis ejecti, qui tumultus propter eam orti ibi. anno 1542.

4. Quanto etiam Romæ odio Inquisitores Dominicani flagrarint apud populum, & quam exosa Romanis Inquisitio post Pauli quarti mortem fuerit, docet Thuan. l. 23. anno 1559.

5. Concessit Carolus V. anno 1550 Inquisitoribus, ut non plebeios tantum, sed etiam Magistratus ad se in jus vocare, & interposito jure jurando cogere possint, ut ad interrogata respondeant, comperta que deferant, præmium etiam partis bonorum, Delatoribus propositum. Ita calumniis & vexationibus in omnes Belgii subditos, & eos simul, qui magno negociandi causa

numero illuc confluebant, fenestra aperta est. Thuanus l. 6. Uti & refertur, quomodo Antverpienses per Mariam Cæsaris Sororem obtinuerint, ut decretum hoc mitigaretur, & *odiosum nomen Inquisitionis* aboleretur.

6. Inquisitio Hispanica vix triginta annorum spatio centum quinquaginta millia reformatorum diversis afflictionibus, & mortis generibus crudelissime consumpsit. Balæus de Act. Pon. Ferunt supra portam Inquisitionis in Hispania hæc verba legi, *Occidite, crucifigite, strangulate, excarnificate.*

NB.

NB.

7. Quod Inquisitio Hispanica ne Regio quidem sanguini parcat, inde multi docere volunt, quod affirment, Carolum Regis Philip-„ pi II. Filium ab Inquisitione in jus „ vocatum, quod dixerit, *mitius cum* „ *Belgis esse agendum*; quæ res ei maximè mortem fertur acceleraſſe: imò pro certò habetur, quod Inquisitores „ disputarint, *annon ossa Caroli Quinti* „ *effodienda, & comburenda essent, quia* „ *visus fuit ante finem vitæ in sententiam* „ *illam, Hominem sola fide per Christum* „ *salvum fieri, inclinare.*

8. Qui-

8. Quidam *Inquisitor* Hispanicus in Belgio *Iacobus Hesselius* solebat plerunque à meridie judicium sanguinarium exercere, & id vino, somnoque sopitus: & cum sententiam interrogaretur, somnum manu oculis detergens, dicebat, *ad patibulum, ad patibulum:* & sic miseri capti, ad patibulum adducebantur. Speculum tyrannidis Hispanicæ in Belgio *pag.* 70.

9. Nihilominus judex sanguinarius Vargas dicere ausus fuit; *nimiam conniventiam Regis & Ducis Albani Belgium perdidisse.* ibid.

10. Inquisitio Hispanica contra jura & privilegia Regni Arragoniæ *Antonium Perezium*, quia Saragossam confugerat, ex custodia summa justitiæ vi rapuit, & suo carcere inclusit: ex quo tamen, concursu populi, iterum liberatus est. Vide Relationem Perezii pag. 57. &c.

11. Poza Iesuita varias erroneas opiniones libro suo congessit, & apud populares suos Hispanos sparsit: Papa librum edendum prohibuit: sed Iesuitæ, spreta Censura Pontificis, vulgarunt Lugduni, & Inquisitionem Hispanicam permo-

verunt, ut Pontificis Cenſuram nollet ratam habere, nec dum habet. Alphonſus Vargas Toletanus c. 17. Relationis ſuæ anno 1641.

Caput V.

Hiſpanorum prævaricationes in Imperium.

IMperator Carolus V. etſi natura mitiſſimus, & fidei datæ tenaciſſimus, parum tamen abfuit, quin continuis Hiſpanorum, quos ſecum habebat, inſuſurrationibus, in tranſverſum abreptus fuerit: Apparet illud in cauſa Lutheri, in bello illo Germanico, in cauſa Friderici Electoris Saxonici, & Philippi Landgravii Haſſiæ: Quid enim non egerunt, uti Lutherum ſalvo conductu, & fide publica eximeret, & eorum libidini concederet; Sed generoſa vox fuit, qua eos faceſſere juſſit: " dicens, *Si nullæ fides in mundo eſſet,* " *tamen mecum reperienda erit.*

2. Incentores belli illius, quod contra proteſtantes geſſit, certè nulli alii fuere, quam conſiliarii ejus Hiſpani.

3. Et quod non ſatis bona fide cum

cum Landgravio actum, non tam Cæſari, quam Albano, & Atrebatenſi, qui verba illa de captivitate, non ita eſſe intelligenda, quaſi plane non detinendus, ſed quod non perpetuò ſit detinendus, interpretabantur, imputandum.

4. Et quod Joannes Fredericus in periculum vitę ſententia damnatoria jam à Cæſare data incidit, eorundem Hiſpanorum ſanguinariis conſiliis adſcribendum.

5. Iiſdem etiam, (nam omnia apud Cæſarem poterant) acceptum ferendum, quod Religio & Regiminis ratio, in multis liberis Imperii Civitatibus mutata fuerit: quod capti illi principes per quinque annos cum ſummo opprobrio gentis Germanicæ tanquam in triumpho à Carolo circumducti fuerint. Has & alias enormitates per totum Imperium ab Hiſpanis, durante Imperio Caroli exercitatas; Lector apud Sleidanum in Commentariis ejus leget.

6. Anno 1597. Franciſcus Mendoza nomine Regis Philippi inſtanter apud Cæſarem egit, ut Veſontionis vice-Comitatus, qui in Ca-

billioriorum familia hæreditarius, per fucceſſionem legitimam ad Naſſovios tranſlatus fuerat, per *Guilielmi Auraufionenſis* proſcriptionem ad Imperium devolutus, in Philippum Vicarii titulo transferretur.

7. Ut Gubernatorem & ſenatum in Clivenſi & Iuliacenſi ditione conſtitueret, interrogatus Cæſar, reſpondit, primum cum Imperii principibus eſſe deliberandum: De altero facturum ſe, ut maximè Religioni addictus homo mitteretur in Ducatus illos. Philippum tamen per ſuos Duces ad omnia intentum eſſe debere: Cautione tamen addita, ne eorum, ad quos ea ſucceſſio ſpectat, animi per ſuſpicionem irritentur. Thuanus l. 9. c. 118.

8. Idem Mendoza cum Nouburgenſibus, Francofurtenſibus, & aliis egit de templo Catholicis aſſignando. Idem.

9. Jam olim Hiſpani Juliacenſem & Clivenſem Ducatum ſpe ſua devorarunt: id quod poſtmodum per ſuos Hiſpaniſatos Conſiliarios, poſt mortem principis ex parte obtinuerunt. Acta principum.

10. Idem

10. Idem Franciſcus Mendoza anno 1598. in Juliacenſem & Clivenſem Ducatum cum 20000. variarum Nationum invaſit, & Orſoam & alias urbes cepit, in Weſtphaliam & vicinia loca excurrit. Alpennam, licet Neutralem declaratam occupavit. Eodem modo cum Moerſenſi comitiſſa egit. quæ licet querelam apud Albertum inſtituerit, nihil tamen præter verba retulit. Urbs etiam Clivia & ſedes principis tentata. *Wirichium Comitem Bruchenſem* in arce ſua ſedentem, vitam prius ſalvam pactum, contra fidem datam, perfide occidit & exuſſit. Capta etiam alia oppida. Budericum, Dinſlaca, Holta, Reſa, Veſalia ſatis graviter mulctatæ: Swartzenburgicus & Benthemienſis comitatus vaſtati: nec Altenburgico Comitatui, aut Epiſcopatui Paderbornenſi parcitum. Ut jam nihil dicatur de aliis inſolentiis, & exceſſibus modum omnem excedentibus, in Imperio uſurpatis & deſignatis, de quibus Thuanus l. 121. Metteranus, & aurhor ſpeculi Tyrannidis Hiſpanicæ in Belgio p. 94, 95, 96, 97, &c.

11. Quo jure, in quem finem, negocio & causæ Aquensi, Juliacensi, Mulhemiensi, se Hispani immiscuerint, imò verius dicendo, se intruserint, vel cæco appareat: nimirum eo ipso jure, & eum ipsum in finem, quo Parmensis, nomine Regis sui, Moersensem comitatum occupavit. Similis Hispanorum scopus fuit occupatæ Rhenibergæ, & aliarum Urbium in Imperio.

12. Non melioribus rationibus Palatinatum inferiorem, Ducatum Simmerensem, Episcopatum Trevirensem invaserunt, quam priores in Imperio designarunt excessus & prævaricationes. Certè quod *Francothalium* contra expressos articulos, & Serenissimo Angliæ *Regi Iacobo* factam promissionem, Filiæ ejus Viduæ Sereniss. *Regis Bohemiæ*, non reddunt, in eo, more suo agunt. Nempe *juramentis Reges, nucibus pueros fallere*, *politicum* quid esse putant.

13. Anno 1598. captus quidam Civis Groningensis. apud eum literæ repertæ ad comitem Ezardum Frisiæ Orientalis, quibus jubebatur

ab

ab Aulico Alberti, ut mature ad Philippi patrocinium, quod illi offerebatur, confugeret. Thuanus l. 122.

14. Eodem tempore ſententia contra Aquenſes Philippi Oratoris & Mendozæ inſtigatu pronunciata eſt. Ibid.

15. Anno 1583, cum bellum inter Gebhardum Archiepiſcopum Colonienſem, & Collegium ortum eſſet, ſtatim ei negocio Hiſpani ſe immiſcuerunt, nequicquam Cæſare & principibus Parmenſem monentibus, ut milites ab Imperio reducat. Thuanus lib. 78.

16. Dicit Ancellus Orator Gallicus Oratione ſua ad Principes Germaniȩ an. 1597. *habita: In Italia paucæ ſunt Ditiones, quæ non ſub prætextu Patrocinii à S. Imperio avulſæ, ſub crudeli Hiſpanorum jugo oppreſſæ gemant. Nec melius Germaniæ ſperandum, in qua jam Bercka ad Rhenum, præter jus omne, & æquitatem, præſidio externo tenetur: & Starckenburgenſis Arx in Weſtphalia indies approperatis operibus munitur. Nota in Haſſiam uſque Hiſpanorum ſuperioribus annis excurſiones, &c. Thuanus l.* 118. *Duos præ-*

" *potentes Cervicibus Germaniæ imminen-*
" *tes habent Principes : alterum (Tur-*
" *cam) vi aperta grassantem, indefessum,*
" *terribilem, superabilem : alterum (Hi-*
" *spanum) insidiose & per cognatorum*
" *principum Ruinas ad Imperium sibi*
" *viam struentem. Caute videndum, u-*
" *trum formidabiliorem existiment, com-*
" *paratione Alcorani cum Inquisitione*
" *Hispanica facta, & an potius cum O-*
" *rientali, quam cum Occidentali Turca*
" *sibi rem esse velint.* Ancellus Oratione ad principes Germaniæ apud Thuanum. l. 118. Vide eam sub finem hujus libri. Scribit Author Exequiarum Pacificationis Pragensis Roterodami Anno 1639 excusarum : *quod Legatus Hispanicus Ratis-*
" *ponæ instar perpetui Dictatoris doma-*
" *tim tantum Electores visitarit, & eis ad*
" *calamum dictarit, quid Regi suo place-*
" *ret, pag. 32. Et paucis interjectis ad-*
" *dit : Nisi veternum excutiant Electores*
" *Spirituales, & Domini Capitulares in*
" *summis Ecclesiis, rebus suis quam atten-*
" *tissime invigilent, brevi res eo concidet,*
" *ut Ecclesiasticis Electoribus, Albani,*
" *Farnesii, Leopoldi, capitulisque ipsis,*
" *& Collegiatis Ecclesiis, tumidi Leira,*
" *Vergosii, & ejus farina alii, quorum*
indoles

indoles ex Belgica historia nota est, ob- "
trudantur: qui Nobilitatem Germani- "
cam tanti faciunt, quanti Bethlehem "
Gabor Regulas Prisciani, qui latinitate "
sua, cum sæpius Consessui risum movis- "
set, apposite respondit, Quid curare- "
mus Priscianum Grammaticum, qui non "
metuimus Imperatorem Romanorum? "
Idem ibidem pag. 33. "

17. Legatus quidam Hispanicus in Comitiis Ratisponensibus jacta- " re ausus est; *Regem suum ibi tres Im-* " *perii Electores sustentasse, atque inter* " *greges suos pabulasse. quin imò Regem* " *suum, Ferdinandum Regum Regem ho- die regere.* In Exequiis Pacif. Pragensis: pag. 66.

18. Anno 1541. Hispani, qui auspiciis Caroli V. militabant, Constantiam partim dolo, partim vi aggressi, suburbium jam occuparant, in quo multa libidinose, crudeliter cum designassent, ab Incolis repulsi sunt, sed illud discedentes incenderunt. Sleidanus lib. 21. Commentarii sui.

16. Status Imperii Noribergæ anno 1640. ante Comitia Ratisbonensia congregati, obnixe inter alia Cæsarem rogarunt, *ut Hispanos tan-*

quam

" *quam alienos ab Imperio, ex consilio &*
" *conventu Principum Imperii facessere*
" *juberet, optime intelligentes, eam Gen-*
" *tem ubique quærere in alieno choro se-*
" *dem ponere, quo ita melius suis rebus*
" *possit consulere.*

19. Carolus V. non sine re principibus Germaniæ suspectus fuit, quasi sub prætextu religionis, & constituendi Imperii, ad amplificationem privatam, & Imperium ad Familiam suam jure hæreditario transferendam spectaret. Thuanus lib. 107.

20. Thomas Campanella Monachus Dominicanus Hispanus discursu suo de Monarchia Hispanica c. 5. sic de Imperio Hispani regnis
" addendo differit: *Papa hoc agendum,*
" *ut maledictione feriat hæreticos tres*
" *Electores Protestantes, comminando, nisi*
" *ad Ecclesiam Rom. redeant se illos Ele-*
" *ctorali dignitate exuturum.* Et mox:
" *Præstaret, si Rex Hispaniæ curaret se*
" *in Imperatorem eligi, qui magnis copiis*
" *in Germ. tenderet eamque subjugaret.*
NB: *Eundum autem foret sub prætextu eun-*
" *di in Hungariam.*

CAPUT

CAPUT VI.

Hispanorum prævaricationes in Regnum, & Reges Galliæ.

IMperio ut Gallia limitibus, sic & insidiis & laqueis ei à gente Hispanica structis proxima. Nullum enim Regnum cum sit, quod Hispanicę Monarchię magis in remora esse videatur Liligero hoc regno, nullum magis impetendum sibique submittendum putant Hispani hoc ipso Regno: sic ut tota horrea insidiarum, molitionum & prævaricationum in illud proferre possem, si aliæ rationes non impedirent; Et plurimis pauca adduxisse impræsentiarum sat erit. Bella inter Carolum V. & Franciscum gesta, quia illa aperta erant, silebo; Etiam reliquas Martias concertationes: Saltem clanculariás & arte tectas molitiones, & specie, si non certæ amicitiæ, saltem nullius hostilitatis publicæ demonstrandæ, exercitatas.

1. Primum hic se offert *fœdus* illud *Henoticorum*, qui Zelotæ dici voluerunt; in qua actione non una & simplex Hispanorum, sed varia & multiplex

Henotici seu Liga sancta.

multiplex observanda prævaricatio: de quo fœdere, *seu sancta Liga*, uti illi eam dici voluerunt, sic illustris historicus Augustus Thuanus l. 90.
" *Nullum unquam in universa Gallia por-*
" *tentum fuit. Cum perniciosa fœdera-*
" *torum, qui & Zelotæ dici gaudebant,*
" *factione, alienatis ubique plebis animis,*
" *civitates toto regno à rege & legitimo*
" *Magistratu defecerunt, & per seditio-*
" *nes, maturata morte, externis, atque*
" *adeo infestis Gallici nominis hostibus, ad*
" *invadendam Franciam, portam pate-*
" *fecere, missis in Regnum Hispanis. ad-*
" *eo, ut vir doctus non infacetè dixerit,*
" *Ostentum quod Neronis principatu fa-*
" *ctum narratur, cum in agro Marruci-*
" *no Vectii Marcelli universum Olivetum*
" *viam publicam transgressum est, & in*
" *locum Oliveti evestigio arva successe-*
" *runt, magis stupendum prodigium apud*
" *Nos (Gallos) fuisse, quippe cum Hi-*
" *spania in Galliam migrarit, & Galli in*
" *media Parisiorum Civitate superbe in-*
" *ambulantem Celtiberiam aspexerint.*
Thuan. l. 90.

Fœdus cum Guisianis. 2. Quod autem Philippus Hispaniæ Rex, cum Guisianis in damnum Regni Galliæ fœdus inierit, cum alibi, tum inprimis l. 81. Thuani

Thuani legitur, ubi etiam fœderis conditiones exprimuntur.

3. Anno 1593. Feriæ Dux Regis Philippi Orator effuse *Infantis Claræ Eugeniæ Isabellæ* laudes, in conventu procerum in Gallia deprædicavit, petens sub finem, ut in Electione Regis, licet *Henricus Quartus* jam Rex esset, Serenissimæ Infantis ratio haberetur. Thuanus l. 106. Cui se Sylvanectensis mascule opposuit. Ibidem.

Pro Isabella Galliæ Regnum petitur.

4. Eandem petitionem postmodum apud Ordines renovavit, & instantissime ursit Joannes Baptista Taxis, & Inicus Mendoza: idem Thuanus l. 16. Sed refutarunt hos quidam scripto certis locis affixo. in quo inter alia hæc erant: *Si hoc facerent Galli, fore ut non solum execrando ac impio perduellionis crimine caput obligarent, prodita hosti patria, ac nominatim Hispano: Sed etiam extrema se dementiæ infamia traducerent, si Religionis securitatem Genti infideli (Hispanis) majorem partem Maranæ, & quæ nescire Deum inter vulgaria peccata æstimat, crederent: & uxores, liberos, ac quicquid Charitatum ac bonorum superest, Maurorum alborum libi-*

Petitio pro Isabella ab Hispanis iteratur.

NB.

"*dini ac sævitiae, quorum mores ipsi sub-*
"*jecti populi ferre non possunt, avare &*
"*crudeliter vexandos traderent, & ita*
"*justissimum odium, ultionem, arma vi-*
"*cinorum populorum, ac principum contra*
"*se provocarent, quibus merito Hispano-*
"*rum ambitio suspecta, & summe invisa*
"*est, nihil aliud scilicet quærentium,*
"*quam ut religionis obtentu tyrannicam*
"*Dominationem ubique usurpent, eoque*
"*prætextu simplicibus ad tempus illudant,*
"*improbis impune grassandi licentiam*
"*concedant &c.*

Ernesto regnum Galliæ petitur.

5. Hispani animadvertentes, hoc negotium *Infantis* sic non posse procedere, *Ernestum, cui Isabella locanda erat, Fœderatis proponunt*; Sed cum & hic obex interveniret, proponunt uti proceres aliquem ex principibus Galliæ regem eligant, *Lotharingium notantes*, cui postea Isabella nubat.

Lotharingiæ Dux ab Hispanis Rex Gallis proponitur. Guisius etiam.

6. Tandem Guisium nominant, eique Infantem dandam uxorem dicunt, & ei in dotem petunt citeriorem Britanniam. Alias etiam insolentes conditiones Gallis præscribunt, quasi jam in plenam possessionem Galliæ missi essent, & ipsis negocium esset cum hominibus

non

non amplius sui juris: quod tamen Meduanius sensit, & cum eo Bassompetra, & propterea eorum importunas propositiones rejecerunt. Vide Thuanum l. 106. & l. 107.

7. Hispani, specie sociis & confœderatis subveniendi, aliquot urbes occupant. id sentientes Lugdunenses anno 1594, mature rebus suis consuluerunt, & se cum Henrico IV. reconciliarunt. Thuanus libro 108.

8. Fontanus & Stephanus Ibarra ministri Regis Hispani, Emanuelem Andradam amplissimis promissis subornarunt, ut Regem Franciæ porrecto fasciculo, ex variis floribus compacto, latente intus pestiferi odoris toxico enecaret. Thuanus libro 109. *Insidiæ vitæ Regis Gallorum structæ ab Hispanis.*

9. Hispanorum extremi conatus, ut Pontificem à Regis Henrici Quarti partibus alienarent, describuntur apud Thuanum l. 107. *Molitiones contra HENRICUM IV.*

10. Philippus II. pridem occultis machinationibus, postea vi aperta in Franciam grassatus, & aureo hamo animos male affectorum veluti piscatus. Thuan. l. 110. *Querela de Hispano HENRICI IV.*

11. Graviter queritur *Henricus*

Quartus

Quartus literis ſuis ad proceres Regni Galliæ, nova Hiſpanica molitione retecta, anno 1604: *Quod nulla*
" *in Hiſpano mora ſit, quin criminibus*
" *ſuis materiam ſuggerat: quod animum*
" *à vitio trans Pyreneos nato avocare ne-*
" *queat, nec miniſtros ſubditos ad faci-*
" *noroſa facta abducere ceſſet, &c.* quæ Epiſtola exhibetur à Matthæo in hiſtoria Franciæ l. 7.

12. Qua ratione anno 1596. Hiſpani Maſſiliam intercipere conati ſint, quomodo propterea Merargus punitus, docet Matthæus l. 1. tom. 3. hiſtor. Franc. & Thuanus l. 116.

13. Regis Hiſpani varias prævaricationes in Regnum deducit Henricus IV. in denunciatione belli Provinciis Philippi anno 1594. apud Thuan. l. 111.

14. Hiſpani Petrum Audoënum Carthuſianum incitant, ut vitæ regis Henrici IV. inſidiaretur, ſed ei, licet damnato, à Rege venia data. Thuanus ſub finem l. 118.

15. Hiſpani, licet pax utrinque eſſet facta, tamen cum Bironio anno 1610. conſilia de rege evertendo, Fontano Parario miſcent. Thua. l. 125.

16. Quæ consilia resumpserunt anno 1602. quibus Regi Hispaniæ, & Bironio convenerat, *Regem Henricum in venatione capere, & in Hispaniam mittere.* Thuan. l. 128.

17. Fontanus habebat an. 1600. quo tempore pax Hispano & Gallo erat, 40000 milites, & 40 tormenta parata, quibus Galliam invadere cupiebat, quia *Henricus* tunc occupabatur bello, quod ei cum Sabaudo erat. Thuanus l. 128.

18. Quam damnosa consilia Taxis, & Sunica, Philippi Oratores, in Gallia ceperint contra Galliæ regnum, patet ex confessione Balsaci Entragii Comitis, apud Thuanum libro 134.

19. Nec non ex alia, cum aliis proceribus, tempore eodem: uti ex alia cum Merargio Gubernatore Massiliensi: ubi etiam Oratio *Henrici* recensetur, in qua Sunicę Regis Philippi Oratori, Hispanorum Machinationes satis libero & liberali ore exprobrat. Thuanus l. 134.

20. Sancta Crucius Philippi Generalis post victoriam contra Gallos, prope Terceram insulam, partam, ex procerum Gallorum numero

mero 28, ex nobilitate circiter 50, ex reliquo numero 300, ad mortem damnavit, & ultimo supplicio affecit. Thuan. l. 75.

21. Pari modo Vallemondus Hispanici exercitus in Florida Dux, perfide fidem Ribaldo & Ottiginio datam fregit, & ultra 600 Gallos, post promissam vitę veniam truculentissime interfecit, occisis oculi eruti, & hastarum mucronibus præfixi, uti historiam hanc prolixe describit Thuanus l. 41. anno 1568.

22. Hispani licet fœdus & pacem cum Carolo VIII fecissent, tamen eam clanculum, missis literis & nunciis in omnes partes, inprimis autem Venetias, eam irritam faciunt, & confestim Gallo bellum faciunt, teste Cominæo lib. 5. belli Neapolitani p. 926.

23. Anno 1614. Franciscus Suarezius Jesuita Hispanicus, scandalosum librum contra Statum Gallici & Anglici Regni emisit, qui etiam sententia Parlamenti publice Parisiis exustus est. Editus autem est liber cum approbatione Joannis Alvari provincialis istius Societatis.

CAPUT

CAPUT VII.

Prevaricationes in Regnum & Reges Angliæ.

SAtis hæsimus in continente, trajiciamus mare, & videamus, num magis fidum *Anglis* se Hispaniæ Rex præbuerit, quam Gallis & aliis. Nihil minus. Quæ sequuntur, lege, & mecum senties, Lupum ubique esse lupum: æque notatas, quam non notatas, si possit, capere, rapere, diripere & dilacerare oves. Ac ut ab ELISABETHA Regina exordiar, negari non potest, Hispanum nihil reliquum fecisse, quo eam & regno & vita privaret.

Molitiones contra Elisabethã.

1. Nam teste Thuano libro 44. 1569. Maria Scotorum Regina Hispanis & aliis impulsoribus, ad res in Anglia novandas, animum adjecit. cum enim in finem *Robertus Rudolphus in Angliam venit, ut fidem Anglorum sollicitaret, & amplissima à Pontifice & Philippo Hispano Rege polliceretur, & eo præcipuo administro Scotorum Regina utebatur.* Thuan. l. 44.

2. Hispanos ministros per Emissarios suos Jesuitas *Nordfolciæ Ducem* anno 1572. induxisse ad periculosa

consilia *contra Elisabetham* suscipienda, extra dubium prudentioribus ejus temporis positum fuit; Quare etiam ipse capitis supplicium subire coactus est. Historiæ Belgicæ.

3. Emundum Campianum cum complicibus nunquam tantum animi sumpsisse adversus Reginam. *Elisabetham* res novas movendi, nisi instigati ab Hispanis fuissent, & eis, si res successisset, auxilia & subsidia promissa fuissent, nemini rerum politicarum gnaro persuaderi potest. Ibid.

4. Classem illam stupendam anno 1588 contra Angliam & Reginam missam, jam hic recensere supersedeo. res enim omnibus nota.

5. Fontanus Hispanus magna vi auri, nempe 50000. aureorum, Medicum Lopezium corrupit, ut *Elisabethæ, Reginæ Angliæ*, venenum propinaret, idque ipse Lopezius ultro confessus, & cum eo Emanuel Ludovicus Tinotius, Stephanusque Errera. Thuan. l. 109.

6. Ibarra idem scelus in *eandem Reginam* tentavit per Emundum Eboracensem, Ejus qui Zutphaniense propugnaculum hosti perfide prodidit

didit, patruelem, & Richardum Wilhelmum, & alium juvenem, aliosque conscios. Promissa percussoribus 40000 aureorum.

7. Anno 1601, Hispani ab Hugone Tirone comite in Hyberniam introducti, sed pessime ibi accepti sunt. Thuanus l. 125.

8. Cum anno 1603 quidam Angli ob conspirationem contra Regem capti, & supplicio affecti essent, Carolus Ligneus Arembergii comes, qui Alberti nomine in aula erat, non caruit suspicione, quasi cum conjuratis conspirasset. Thuanus l. 129.

9. Quam perfidiosa consilia in Regnum Angliæ Hispani cum Jesuitis agitarint, recenset Thuanus occasione consilii incendiarii anno 1605, l. 136.

10. Rex Hispaniæ non diu post mortem Mariæ Reginæ Scotiæ, Parmensi Belgii Gubernatori commendarat, suo nomine Regi Scotiæ pecunias & exercitum adversus Reginam Angliæ promitteret, ut eo facilius matris mortem ulcisci posset. Ea de causa Parmensis nobilem Scotum Robertum de Brusse

in Scotiam multa cum pecunia ablegavit. Facta etiam erat Regi Scotiæ ſpes matrimonii cum Infante Hiſpanica, ſi Religionem Romanam amplecti vellet. Erat in Comitatu nuncii Apoſtolici, qui hoc proponebat, Wilhelmus Crichthon, qui Lugduni aliquandiu Rector in Collegio Jeſuitico fuerat. Is author fuerat Bruſſeo, ut Joannem Metellanum, magnum Scotiæ Cancellarium, qua vi, qua fraude è medio tollendum curaret: Sed quia Bruſſeus ab hoc facinore abhorrebat, à Crichthone apud Fontanum accuſatus, & ab eo in carcerem conjectus, & non niſi poſt quatuordecim menſes libertati reſtitutus fuit. Hoſpinianus.

11. Quanta arte *Iacobo, Scotorum* tum Regi, ſed poſt etiam Anglorum, quidam ex emiſſariis Hiſpanicis, voluerint perſuadere, neceſſariam ei amicitiam Regis Hiſpaniæ, & fœdus, addentes, ſi Hiſpanos faventes habeat, plurimum hoc ei profuturum, docetur à Thuano libro 83.

12. Hiſpanorum periculoſa molitio in exitium & perniciem Re-

gni

gni & Reginæ Angliæ anno 1596. per Jesuitas & emissarios, descripta est in querela Anglicana ad Clementem Octavum Pontificem, apud Thuanum, & alios.

13. Anno 1601, Rex Hispaniæ instigatione Garneti Roberti Jesuitæ, res in Anglia studuit turbare, sed conatus ille manifestus factus, in fumos abiit. Metteranus l. 27.

14. Regem Hispaniæ omnes suos conatus eò dirigere, uti parariis Jesuitis, res & religionem in Anglia turbare & novare possit, tot iteratæ molitiones, sed pleræque irritæ, testantur, inprimis Diploma 1602. in Anglia contra Jesuitas conditum, in quo inter alia etiam hoc nomen habent, quod sint Regis Hispaniæ Buccinatores.

15. Quibus artibus in Hispania conjugium inter præsentem REGEM CAROLUM & Regis Hispaniæ filiam tractatum, protelatum, & tandem plane elusum, notum est iis qui negotio illi interfuerunt. Sic uti ubique Hispani, Hispani sint.

Caput VIII.

Hispanorum in Regnum & Regem Portugalliæ prævaricationes.

CUm *Sebastianus* Rex *Portugalliæ* anno 1578, expeditionem in Africam, sibi, & Regno suo fatalem, suscipere vellet, Philippus Hispaniarum Rex, quidem ab initio eam improbare & dissuadere visus " est, sed observatum à sagacioribus, " non sincera fide Philippum in eo " negotio versatum. Multa promisis- " se, sed pauca præstitisse, imò modo " promissa mox planè negare. Thuanus l. 65.

2. Philippus Rex Hispaniæ per " emissarios suos Jesuitas, *Henricum* " *Sebastiani successorem*, sed ob senium " jam de Ioanne Bracantiæ Du- " ce sibi surrogando cogitantem, tam " minis, quam aliis persuasionibus de " proposito suo, quamvis tota Lusi- " tanica Nobilitas *Bracantiæ* Duci fa- " veret, dimovet, absterretque; etiam " literis ad plebem Ulyssiponensem datis, eum sibi devincire conatur; quod tandem in Nepote an. 1640 assecutus est. Thuanus l. 65. sub finem.

3. Nulli

3. Nulli etiam acrius Electioni liberæ, deficiente prole mafcula, & incerto fuccedentium jure in Regno Portugalliæ, reftiterunt, quam Philippus, & ejus adhærentes. Thuanus l. 69.

4. Philippus per Ferdinandum Caftellum, *Henricum Regem Portugalliæ* à conjugio deterret, quo nimirum eo cœlibe moriente, eò faciliorem fibi aditum ad Regnum Portugalliæ pararet. Thuanus libro 69.

5. Ait Thuanus, Philippum ftatuiffe jus fuum, quod fibi in Regnum Portugalliæ effet, armis perfequi, plus momenti in potentia fua, quam in jure fuo aut IC. fententiis ponens.

6. Multa fatis liberaliter *Henrico*, & Portugallenfibus, Philippus per Oratorem fuum Offunæ Ducem promittit, fi regem eum conftituant: quæ tamen poftea vix dimidia parte fervata. Vide Thuanum l. 69.

7. Lite adhuc pendente, & *Henrico* vivente, Philippus arma contra Regnum Portugalliæ parat. quo animadverfo *Henricus cæpit vacillare, perfuafus à Leone Enrice Iefuita, cœlum*

se mereri, si Philippum successorem sibi designaret. Thuanus l. 69.

8. Re jam ad arma deducta Philippus negocium Regni Portugallensis Theologis suis Complutensibus, Jesuitis patribus, & Franciscanis, per otium discutiendum permittit. Egregium procedendi, & causam suam probandi, modum! Ii igitur, Pontificis authoritate exclusa, quia res meri soli esset, &c. pro Philippo pronunciant. Thuanus l. 69.

9. Etsi Pontifex quidem, per Segam Oratorem suum primo, & postmodum per Alexandrum Riarium, apud Philippum Regem Hispaniæ egerat, ut dum res jure componeretur, ab armis cessaretur, nihil tamen efficere potuit. Vide Thuanum lib. 70. anno 1580. Sed variis rationibus, dilationibus, & excusationibus colloquium distulit.

10. Cascaium ab Alba vi captum: & licet, antequam id fieret, obsessi album vexillum tollerent, & colloquium peterent; Hispani tamen spe prædæ, eam Urbem vi invaserunt, & Didacus Meneses in eo repertus, & cum Enrice Pereira

arcis

arcis præfecto, & aliquot aliis, supremo supplicio affectus est. Thuanus l. 70.

11. Anno 1581, Philippus Hispaniæ Rex Inauguratione sua, præteritorum gratiam Portugallensibus proceribus faciebat, sed exspectationi minimè eventus respondit: Cum non solum Antonius prior, Franciscus Portugallus Vimiosi Comes, & Joannes Gardæ Episcopus Vimiosi frater, cum quinquaginta aliis, factionis contrariæ principibus, sed etiam cuncti Monasticam vitam professi, ab ea excluderentur. Thuan. l. 73.

12. Petita Portugallensium, quę pene nullius momenti erant, promptè iis Philippus annuit, sed quæ alicujus momenti, ea aut omnino negavit, aut ambiguis responsis ad marginem positis elusit. Thua. l. 73. Pari modo etiam Nobilitatis petita negavit.

13. Quomodo Philippus Lusitanorum, qui ei fidam operam in acquirendo eo Regno præstiterant, flagitationes eluserit, docet Thuanus lib. 75, dicendo; Aut de jure ad Philippum Regnum Lusitaniæ

" pertinere ; & sic ratione justitiæ sibi
" ipsos ad acquirendum illud obliga-
" tos fuisse : aut non ; & sic eos pro-
" ditorie cum patria egisse sua: quam-
" cunque rationem eligant, nihil ipsis
" Philippum debere : Satis ipsis esse
" debere , quod vitæ incolumitatem
" ipsis dederit.

14. Quam inexorabilis & severus etiam Philippus in Personas sacras , quæ ei in acquirendo Regno Portugalliæ adversatæ fuerunt, extiterit, ex literis vide , supra c.2. ad bis mille enim eo bello perierunt. Thuan. l. 72.

15. Præfecit Philippus, statim sub auspicia prima Regni in Portugallia , Hispanos , Lusitanis plané amotis. Inde Thuanus lib. 78. anno 1583, ait : Urebat & hoc Lusitanos , quod Regni ærario non indigena , sed Franciscus Villęfanga Castellanensis præfectus fuerit.

16. Michael de Vasconcellis, Regis Hispanię Secretarius in consilio Regio Ulyssiponæ , tantæ superbiæ & elationis animi fuit , ut non dubitarit, viris primariis nego-
" tiorum causa eum interpellantibus,
" alapas ingerere, viros primariæ No-
bilitatis

bilitatis ad triremes damnare, & amandare, aliasque insolentias exercere. Ex relationibus Portugallensibus, anno 1640.

17. Ait Cominæus lib. 5. Belli Neapolitani non multo à fine; Hispani omnes natura valde oderunt Lusitanos, & contemnunt etiam.

CAPUT IX.

Hispanorum prævaricationes in Belgium.

TEmpus quidem & expectatio avidi Lectoris requireret, ut cursum ex transmarinis Regnis ad nostrum BELGIUM relegerem, & quæ in eo, ante & post bellum hoc, quod jam ab anno 1566, non minori varietate, quam certantium partium ardore & fervore cœptum, continuatumque in hoc usque tempus est, ab Hispanis crudeliter, tyrannice, avare, perfide, dolose, irreligiose, libidinose, violenter, & inhumaniter commissa & designata sunt, recenserem. Sed quia eorum tanta nubes & moles, ut cœlum citius manu comprehendere possim, quam ea dicendo enarrare, vel scribendo recensere: alioquin etiã Au-

thores plurimi utriusque religionis extent, qui non minori cura, quam fide ea collegerunt, & secundum annorum seriem historiis suis inseruerunt: supersedebo calamum his notandis delassare. In manu ferè omnium est historia Emanuelis Metterani, una cum continuatione Wilhelmi Baudartii, lingua Belgica scripta: prostant etiam P. Boorn de eodem bello relationes: typis pariter editæ sunt historiæ Eberhardi Raid. Ut sileam de Illustri historico *Iacobo Augusto Thuano* Gallici Regni Livio, à quo summa fide & integritate, summa etiam elegantia, initium, successus Belli Belgici chartę commissi; apud quem etiam hinc inde legere est, quæ insidiæ structæ proceribus, & inprimis *Arausionensibus*, patri, & filio, quot Urbes vi captæ, & misere direptæ, & incolæ plus quam barbarica crudelitate tractati; quot rebelliones ab Hispano milite excitatæ, & quam misere Subditi & Cives, pręsertim Antverpienses & Mechlinienses, tractati, & bonis suis spoliati: quot millia à Carnifice tantum confecta, non numeratis iis, qui

Metteranus. *Baudartius.* *P. Boor* *Eberh. Raid.* *Thuan.*

qui in præliis occubuerunt. Quibus etiam addi poteſt Martyrologium Corvini, & Apologia principis Arauſionenſis, nec non Ancelli Oratio ad principes Germaniæ, ut alia ſcripta Apologetica à proceribus Belgicis emiſſa: Item Speculum Hiſpanicæ Tyrannidis in Germania inferiori, in quo libro Lector talia leget, ut iis obſtupeat, ſtentque comæ, & vox faucibus hæreat: præſertim pag. 35, 36, 37. Bruxellæ, Montibus in Hannonia ad Moſam, Ryſſelæ, Dornicæ, Roterodami, Mechliniæ, Zutphaniæ, Nardæ, Harlemi, Antverpiæ, quæ direptio omnes alias excedit, ſiquidem plures quam 8000 cives & milites ibi occiſi, extorſerunt & eripuerunt etiam Civibus ultra quadraginta tonnas auri, exceptis cimeliis & aliis rebus pretioſis, &c. Ob has cauſas & alias, nec manus ex ſcriptione, nec oculos Lectoris lectione earum rerum defatigabo. Sed ſaltum tranſmarinum faciens in Cataloniam me conferam.

Martyrologia. *Ancelli oratio.* *Speculum Hiſpan. Tyrannidis.*

Non omittendus ex hoc Catalogo liber ille ſacerrimus Thomæ Campanellæ Hiſpani Monachi, quo

triginta & plures rationes Regi Hispaniæ monstrat subjugandi Belgii. Quarum hæ præcipuæ. 1. ut semina discordiæ inter Belgas serantur. 2. uti finibus suis eos eliciat. Quibus corollarii loco addit, ut rex ad artes Jasonis confugiat, & Medeam aliquam conciliet, id est, conjugia promiscua.

Caput X.

Hispanorum in Regnum sive Principatum Catalonia prævaricationes & excessus.

VUlgarunt Status & Proceres, inprimis Magistratus Barcellonensis anno 1640, querelam CATHOLICAM ad Regem Philippum, qua primum demonstrant fidelitatem, constantiam in obsequio, liberalitatem, animi devotionem, subjectionem, & alia merita erga Reges Hispaniæ, sic ut merito mitius & melius ab Hispanis, sive ut vocant, Castellanis, tractari meruissent, & debuissent: Nam uti capite 7. scribunt, bello anno 1640 inter Regem Galliæ in comitatu Russoliensi gesto, septem menses sustentarunt 30000 millia militum,

militum: infinitam ſummam pecuniæ diverſis temporibus ad uſus neceſſarios, extra ordinem collegerunt & obtulerunt: ſic ut vix ulla provincia melius de rege merita ſit. Sed quæ gratia iis ab Hiſpanis relata? ea, ſicut in præfatione vel Epiſtola ad Regem queruntur, quod peſſime à Regio milite tractati fuerint, &, ut capite quarto ſcribunt, magnam vim pecuniç miles Hiſpanicus ruricolis extorſerit: quod Sacrilegia varia, in Monaſteria, templa, & alia loca ſacra commiſerit, templa ornamentis ſpoliata exuſſerit, baptiſteria confregerit, hoſtias ſacras & conſecratas igne abſumpſerit, imagines Divç Mariç & Salvatoris violarit. Capite ſeptimo aſſerunt, gratiam quam ipſi meruerant in Caſtellanos tranſlatam, quod apud Regem traducti ab Hiſpanis, quaſi ex caſtris aufugerint: poſtmodum Hiſpanos invidiæ & mendacii arguunt; ſeque Regi propter objecta crimina purgant. Dicunt, Hiſpanos aliorum merita & gloriam, ſuam facere gloriam, & omnibus modis laudes aliorum extenuare, obliterare, & oblivione ſepelire:

varias

" varias artes Hispanorum recensent,
" addentes, jam ab anno 1620 Hi-
" spanos nihil aliud in Catalonia e-
" gisse, quam uti Catalonios variis
" modis angerent, torquerent, suppri-
" merent, privilegia & immunitates
" antiquas infringerent, planeque eas
" iis eriperent, apud regem traduce-
" rent, deferrent, lites & diffidia in-
" ter Regem & status Regni sere-
" rent, & animum Regis plane à sta-
" tibus Regni averterent, sumptus non
" necessarios Regi & Regno face-
" rent, Regionem exactionibus, ex-
" peditionibus exhaurirent, & ad re-
" stim redigerent. Addunt & hoc, se
" ab Hispanis sociis auxiliaribus vel
" quasi, pejus & crudelius tractatos,
" quam ab apertis & professis hosti-
NB. bus olim Mauris. Comitem Fontis
" clari Societati Mercatorum ma-
" gnam summam pecunię expressisse,
" uxores & filias violasse, maritos &
" alios occidisse, bona & facultates
" rapuisse, pagos incendisse, uti etiam
" ibidem aliquam multos nominibus
" suis exprimunt. Leonhardum Ma-
" lam Capitaneum Regium portas
" Villæ Francæ vi occupasse, civibus
" pro exitu & introitu pecuniam ex-
torsisse,

torsisse, adulteria, violationes, ra- ››
ptus, cædes, rapinas, ædium effra- ››
ctiones, incendia, Hispanis ludum ››
& jocum fuisse. Baronem Lisagam ››
bona possessoribus vi rapuisse, ea ››
hastæ subjecisse, domos incendisse, ››
infinita alia tyrannica facta in Ca- ››
talonios designasse. Et quanquam ››
de his Excessibus querelæ apud of- ››
ficiarios & ministros Regios insti- ››
tuerint, nihil aliud tamen iis se effe- ››
cisse, quam quod ludibrium ab ipsis ››
retulerint, & militem ad queвis au- ››
denda adhuc magis irritarint. Que- ››
runtur etiam, Officiarios regios o- ››
mni studio bella quærere, & exci- ››
tata ea protrahere, bella ex bellis ››
serere, ut ita plus temporis habeant ››
divexandi provinciales, & se suos- ››
que ditandi & locupletandi: *præfe-* ››
rentes, divites esse milites in Castris, ››
quam pauperes & contemptibiles domi ››
in pace. c.8. Queruntur sæpe, uni,
eique non diviti rustico, duodecim
& plures milites fuisse sustentandos, ››
& alendos, à quibus ad ossa & me- ››
dullas exesi. Et cum non amplius ››
superesset, quod dare possent, barba ››
ab iis tractos, per pavimenta raptos, ››
gladiis, baculis percussos, & clum- ››
bes

" bes factos; ſannis inſuper amaru-
" lentiſſimis exceptos, dicendo, *i, &*
" *vende uxorem & liberos, & da nobis*
" *quod edamus & bibamus:* Antonii de
" Fulvia viri primariæ Nobilitatis, &
" ab omnibus propter vitæ integrita-
" tem amati, arcem obſeſſam, portas
" exuſtas, bona à ruſticis eo tanquam
" in tutum locum convecta, direpta,
" ipſum in templo manu ſacram ef-
" figiem habentem, una cum aliis
" crudeliſſime interfectum, & nudum
" ita in terra relictum, &c.

" Capite Decimo memorant, quo-
" modo in pago quodam Gava, occi-
" dendo, vitiando uxores in præſen-
" tia maritorum, homines de brachiis
" ſuſpendendo, ut pecuniam iis ex-
" torquerent, Sacrificulum in templo
NB. male verberando, (dicentes: *Etsi*
NB. *ipſe Apoſtolus Paulus eſſet, & haberet*
" *Sacramentum Altaris in manibus, non*
" *melius cum eo actum iri*) Hiſpani ege-
" rint: & alio in loco, omnibus tem-
" plis ornamenta abſtulerint, filias vi
" rapuerint, & parentes ad auxilium
" currentes occiderint, & hæc omnia
" impune. Imò ajunt, officiales &
" miniſtros Hiſpanicos ſevere prohi-
" buiſſe, ne Advocati cauſam Cata-
launorum

launorum agerent, vel patrocinium „ eorum suſciperent. Libelli ſupplices „ ridebantur: Sub pœna vitæ incolis „ de injuriis illatis conqueri vetitum: „ Sic, uti Hiſpani ſocios & amicos „ ſæpe crudelius & atrocius tractent, „ quam manifeſti hoſtes. „

In Catalonia nihil aliud auditur, „ nihil aliud videtur, quam quomodo „ uxores plorent occiſos maritos, Ma- „ riti raptas & violatas uxores, & con- „ jugalis tori violationem. Senes con- „ queruntur de vi filiabus facta. Filiæ „ vim paſſæ ereptam pudicitiam eju- „ lantes: Orphani mortes violentas „ parentum lachrimantes, cives & „ ruricolæ opem cœli & terræ in his „ anguſtiis invocantes: templa dire- „ pta, exuſta, ſine paſtoribus, & pa- „ ſtores ſine templis, Regnum & Pro- „ vincia tota deſolata, atrata, & in ex- „ tremo agone conſtituta.

Recenſent capite Duodecimo, quomodo Perpinianum Urbs ab Hiſpanis divexata, oppugnata, globi vel boli igniti numero 52 in eam jacti, & 564 ædes incendio ab- „ ſumptæ, ædes 1185 direptæ. Nec „ templis parcitum, Collegium Car- „ melitarum & alia ſacra loca ab Hi- „ ſpano

Perpinianum ab Hiſpanis vexatum.

" ſpano milite direpta: in uno templo
" ultra 8000 Ducati ablati: ne hilum
" interceſſione Epiſcopi & religioſo-
" rum proficiente. Cives Perpiniani
" exarmati: nemini urbe pedem ef-
" ferre permiſſum, in carceres Cives
" compacti. Querelę de his inſtitutæ,
" à miniſtris Hiſpanicis non acceptæ,
" ſed vel plane rejectæ, vel in alia
" tempora dilatæ: Quod multi ex pri-
" mariis etiam Civibus ſine cauſa ca-
" pti, in carceribus aliquot menſibus
" retenti, antequam cauſam incarce-
" rationis ſcire potuerint: quod nulla
" juſtitia adminiſtrata, Epiſcopo &
" Clero Barcellonenſi reditus erepti,
" omnis juriſdictio, etiam Spiritualis,
" ad Hiſpanos tranſlata, &c.
" Conqueruntur etiam de Ingrati-
" tudine Regis Hiſpani, ſic ut con-
" cludant, nolentes volentes Cives
" & ruſticos arma ſumpſiſſe, &c.
" Sed ſiſto, & Lectorem ad ipſorum
" querelam Catholicam remitto; ex
" qua hæc excerpere volui.

CAPUT XI.

Hispanorum prævaricationes in Arragoniam.

QUod alibi scripsi, Hispanos data opera aliis Regnis & Provinciis antiquas libertates & immunitates imminuere, quo sic incolis ansam ad rebellionem præbeant, & ipsi honestam occasionem habere possint eos castigandi, ut ipsi vocant, sed, ut alii, invadendi, deprimendi, bonis & vita exuendi, & omnia pro sua libidine agendi; Id testatum facit nobis processus & Actio *Antonii Perezii*, cujus actionis summam breviter recensebo.

Constituerat propter suspiciones quasdam Philippus Secundus *Eescovedum* Secretarium fratris sui Joannis de Austria è medio tollere, idque clancularia arte, ne fratrem offenderet, cui ille Escovedus summopere charus erat. id quod per Antonium Perezium, suum Secretarium, & illius æmulum, effecit. Consanguinei & amici Escovedi cædem hanc per Sicarios ab Antonio Perezio immissos patratam in Perezio vindicari petunt à Rege.

Rex

Rex, qui Perezium ad eam incitarat, etiam manu data & literis, ei protectionem promiſerat, lupum tenens auribus, poſt mille tergiverſationes, & acres inſtantias Eſcovedorum, Perezium in cuſtodiam dat, ut illis ſatisfaceret, & huic hac ratione de vita caveret, cui Eſcovedi amici inſidiabantur. Poſt diuturnam captivitatem, in qua Antonius aliquoties liber pronunciatus, mox iterum in cuſtodiam datus, tandem etiam tormentis ſubjectus, literæ per fraudem Confeſſionarii, quibus Rex ei de facto eo caverat, maxima ex parte uxori Perezii extortæ, & ipſa uxor Perezii cum liberis capta, & bona ejus omnia ſub haſta vendita, ſic uti Perezio nihil niſi vita ſupereſſet, de qua tamen etiam extremè periclitabatur. Fuga elapſus in Arragoniam venit Sarragoſam. Ibi perſequentibus eum Regiis, ex Monaſteriis extractus, & carceri mancipatus: ſed inde liberatus, rurſus captus, & Gubernatori Regio traditus. Sarragoſii hoc minimè ferentes, tanquam rem contra ipſorum privilegia impingentem,

tem, eum vi, concurſu populi facto, Inquiſitioni iſti eripiunt, & in eo tumultu aliquot ex Regiis cædunt. Interim Perezius elabitur, ſed prius publica ſententia juſtitiæ, uti ibi vocant, abſolutus. Poſtquam tres annos in iſta ærumna, modo captus, modo liber, modo damnatus, modo abſolutus fuiſſet, Rex, incitantibus Hiſpanis, uti iſtam injuriam ſibi factam à *Sarragonenſibus* vindicaret, exercitum, Duce *Antonio de Vargas, in Arragoniam mittit*: Cui ſe Status Vigore privilegiorum opponunt. Sed literas ſuas Rex benevolè ſcribit, ad eos, quos poſt maximè ad pœnam rapuit, ex ſimulatione Vargę; quem Sarragoſſenſes admittunt. Nam ſimulac Vargas admiſſus fuit, ſtatim eos ante alios omnes, quibus Rex tam benevole ſcripſerat; poſt alios, capit Advocatos, procuratores, Deputatos Regni, Religioſos, Locumtenentes; reſtituens eos, qui antea à Deputatis, tanquam proditores patrię, & legum everſores, officiis dejecti erant. In fiſcum redigit bona plurimorum. Capitur etiam ſummus Judex Regni Joannes de Nuzza dictus Arragonię, quem vigeſima

vigeſima à captivitate hora, nulla admiſſa excuſatione & defenſione, gladio percuſſit, & bona ejus fiſco addixit. Privilegia Civibus eripiuntur: Sic uti cædes illa in Eſcovedo perpetrata, Perezio ſummopere damnoſa, Regno Arragonico exitioſa, Regi probroſa, Hiſpanis dedecoroſa, & toti mundo ſcandaloſa extiterit. Ex relatione Hiſtoriæ de Perezio.

Gubernator Regis Catholici in Arragonia aliquando ad ſe Advocatum Micerum Sarcem vocavit. qui putans eſſe Gubernatori ſuo conſilio opus, ſtatim venit. ſed ſimul ac venit, ſimul ac etiam eum Gubernator nullo proceſſu jurispręmiſſo ſtrangulavit. Ex eadem relatione.

Perezius neceſſe habuit, in vinculis conſtitutus, apud Regios miniſtros in Arragonia ex eleemoſynis vivere, quia omnia ejus bona, etiam induſiola infantum, Regii diſtraxerant. ibidem.

Injurioſiſſimè Hiſpani etiam religioſos, quod ex miſeratione quadam patrocinium vel deprecationem pro Perezio ſuſceperant, tractarunt,

ctarunt, capiendo & ſpoliando, & in carceres nudos detrudendo eos. Sicuti ex animi mœrore quidam etiam canonicus mortuus. ibid.

In qua Relatione plura contra Regnum & privilegia ejus, hæc Hiſpanorum attentata legenda.

CAPUT XII.

Circa Regnum Neapolitanum prævaricationes.

IN deſcriptione Regni Neapolitani, quę eſt in theſauro Politico, apoteleſmate 62, author hæc habet:

„ 1. Quod Hiſpani corpus hoc (Regni Neapolitani) monſtruoſe extenuarint, & tamen cum ejuſmodi ſuſpicione poſſideant, ut non contenti omnem Spiritum ejus retudiſſe, omniaque membra infregiſſe, nihil adhuc intentatum relinquant, ne recolligat vires, unde poſtea à medicamentis abhorreat, & medicum ipſum magno incommodo atque exiſtimationis jactura extrudat.

2. Ferdinandus Hiſpaniæ Rex poſt mortem Joannæ Reginę, licet illa teſtamento Regnum illicò in Renatum

Renatum Ludovici Andegavensis fratrem transtulerit, prętendens Regnum ad Ecclesiam recidisse, vi Neapolin cepit, ac liberum dominatum suscepit, &c.

3. Hispani semper agunt, uti Pontifices semper in causa Regni Neapolitani benevolos habeant, & ut omnes in Regno isto potentiæ alterius famam obtinentes, deprimant atque extenuent.

4. Indigenis proceribus Neapolitanis Hispani munera nonnulla, præsertim aulica concedunt interdum, publicam verò administrationem nemini, aut perraro, aut valdè limitatam.

5. Dum Nationi Hispanicæ rerum omnium (in Regno Neapolitano) Regimen Rex Hispaniæ commendavit, neque cuiquam permissum est de ministris conqueri. Hispanorum insolentia atque licentia in tantum excrevit, ut abutentes Regio proposito in deprimendis atque superbiam intolerandam non minus, quam pessimi exempli, tyrannice expleverint.

6. Quod proregum, officiales & Gubernatores omnium provinciarum

rum divitias consecuti sunt. Ibidem.

7. Quanto severiorem se Officialis in Regno Neapolitano profitetur, præsertim adversus Nobiles, tanto charior, & in majori est existimatione apud Hispanos, à quibus in aula promovetur, & ad gradus, titulosque editiores exaltatur.

8. Queritur allegatus Author adhuc de aliis oneribus, Regno illi impositis, & quotidie imponi solitis, de donativo extraordinario, de granis, quę singuli ignes, sive familiæ solvere tenentur, pro militum stationibus, pro Salariis, quæ comitatui Proregis solvenda, de granis septem ad custodiam turrium, de granis quinque pro Campestribus lictoribus, de granis novem pro viarum refectionibus, de onere pro quinque peditibus in centenos ignes, pro pensionibus annuis, de novo tributo, serico laborato, & non loborato imposito, *de vectigali in lusoriis chartis, quod quotannis viginti millibus locatur,* posito: Et quæ hujus generis sunt aliæ Emunctiones.

9. Queritur quod prorex Hispaniæ Regis aliquando jusserit, ut

Neapolitani ex radicibus quibuſdam, qui panis porcinus vocatur, panem conficerent, & comederent: quod edictum tamen mox ſuſpenſum fuerit, addito prætextu, id mandatum fuiſſe experiendi gratia, num tempore neceſſitatis id ſuffecturum fuiſſet.

10. Queritur quod Prorex, invito Ordine equeſtri, quendam Cattinarium hominem divitem, ſed alias non magni momenti, voluerit inſerere Nobilium Ordini.

11. Queritur quod filiam principis vi ex Monaſterio abduxerit, ſub prætextu, quod mentem illius circa matrimonium explorare vellet, ſed revera, quod eam uxorem filio ſuo deſtinaret.

12. Queritur, quod quando Ordines Regni, Donativum Regni, Regi per ſuos homines mittere voluerint, Prorex per ſuos homines miſerit, atque uti ſibi illud traderent, vi coegerit.

13. Quæritur quod uxori ſuæ brevi tempore ſeptem millia aureorum in reditibus quæſierit, totidemque filio Bernhardino ex ſacris reditibus &c. Eſt autem illa Diſ-
ſertatio

ſertatio ſcripta an. 1579. Calendis Aprilis, appar etque in Theſauro politico Caſp. Enſii, parte 3, Apophthegmate 62.

CAPUT XIII.

Hiſpanorum prævaricationes contra Italiam & ejus Reſpublicas.

LOngum nimis futurum foret, ſi per ſeriem hiſtoriarum eundo omnes Hiſpanorum prævaricationes in Italiam, ejusque principes & Reſpublicas ſingulas commiſſas excerpere, & huic narrationi inſerere vellem; præſertim cum jam nonnullæ de Pontifice *a* allegatæ, & aliæ infra capite de prævaricationibus *b* in diverſa Regna & Reſpublicas allegandæ. Et cum tam varii principatus, & variæ Reſpublicæ, nulla autem fere ſit, quæ non, quod de Hiſpanica conqueri poſſet dominatione, & ambitione, conſultum viſum eſt aliquas ſaltem allegare, prætermiſſis reliquis. Quod omnes in aciem producere, laboris prope eſſet infiniti.

a *Supra cap.* 2.

b *c.* 14.

1. Quę in Papam & ejus ditiones ambitionis ſuæ monumenta edide-

In Sereniſſ. Rempub. Venetam.

rit, ſupra dictum. Quo in Illuſtriſſimam Rempublicam Venetam animo ſint, optimè Reipublicæ illi notum, ſed diſſimulando ea tegit. Non tamen oblita, quam callide ſe geſſerint in Confœderatione, vel bello contra Turcam, in controverſia inter Paulum V. & Sereniſſimam Rempublicam.

In Genuenſes.

Nec Genuenſibus excidiſſe puto, quæ ejus gentis molitiones fuerint, tempore Doriæ, & poſt:

In Mediolanẽſem Ducatum.

quomodo Mediolanenſem Ducatum à Regno avulſum juris ſui fecerint, Sleidanns non tacet.

In Pedemont. & Subaudiam.

In Regione Pedemontana & Sabaudia, reliquiſque ditionibus plurima ejus gentis prævaricationum monumenta erecta ſunt, & quotidie adhuc eriguntur.

In Florent. & Senenſ.

Quæ Florentini Senenſes paſſi ſint ab Hiſpanis, docent illi, quæ res hujus & ſuperioris ſeculi chartæ tradiderunt.

In Ducatum Mantuanũ, &c.

Ducatum Mantuanum, Montferatenſem, Ferrarienſem, Apuliam, Calabriam, jam lubens prætereo;

In Regnum Siciliæ & Neapolitan.

Nec Siciliæ & Neapolis Regnum attingo, quia lippis & tonſoribus notum, quibus artibus illud acquiſiverint, & quam indigne proceres & Subditos tractent miniſtri Hiſpanici,

ſpanici, ſic ut teſtantibus hiſtoriis & relationibus, leviſſima de cauſa, ob verbum interdum non ſatis conſiderate prolatum periclitentur de bonis & vita. Dudum jam Italiam totam; & cur non? pulchra enim Helena eſt, ſpe ſua vultures illi devorarunt, ſed ſpes hactenus laros illos hiantes luſit.

2. Quomodo Hiſpaniæ Rex Carolum VIII. Regem Galliæ, ad bellum Italiæ faciendum invitarit, docet Cominæus l. 5. belli Neapolitani ſub finem fere.

3. Anno 1617, durante bello inter Ferdinandum Auſtriacum, & Sereniſſimam Rempublicam *Venetam*, Prorex Neapolitanus Turcam ad bellum contra Venetos invitavit & animavit, ſed Turcæ in Siciliam impreſſionem fecerunt, & magnam prædam abſtulerunt. Baudartius lib. 38. Uti etiam Epiſtola ipſa. *In Venetos.*

4. Eodem etiam libro ſcribitur, quomodo Legatus Sabaudi apud principes Germaniæ Hailbrunnæ congregatos conqueſtus ſit de violatione pactorum. *In Sabaudos.*

5. Contra Italiam & ejus Reſ-

publ. 1618, in principio Maji, patefacta est periculosa proditio & machinatio Hispanorum, qua constituerant per Emissarios suos Venetiam in diversis locis incendere, Senatores occidere: sed re detecta, multi ex conjuratis suspensi, multi suffocati, multi aliis modis è medio sublati. Baudartius l. 38.

In Venetias.

6. Eodem tempore Hispani CREMONAM voluerunt intercipere, sed res eundem habuit exitum, quem proditio Veneta. Ibidem.

In Cremonam.

CAPUT XIV.

Hispanorum in alia Regna prævaricationes.

Suecia.

SUeciæ Rex sentiscens, quorsum Regis Catholici tenderent consilia, quanquam nihil ab Aurausoniensi sperare posset, tamen spretis ingentibus Philippi promissis, ei immanium suorum navigiorum, quibus abundat, usum & commoditatem denegavit. Ob id semel atque iterum Austrios à comitiis Poloni rejecerunt, ne videlicet accedente ad Bohemiam atque Ungariam tam late potenti Regno, ejus bene-

beneficio Gedani potentes interdicto commercio Batavos ad officium cogerent. Thuanus l. 107.

2. Non sine tacito Conscientiæ morsu Philippus II. & pater ejus morti vicini, de Navarreni Regni negocio per JCtos, & rerum peritos inquiri voluerunt post mortem: Quod in conscientia convicti essent, injuste à se illud, hærede justo excluso, teneri. Thuan. l. 120. *Navarra.*

3. Hispani ideò Saluciarum, & vicinarum ditionum Imperiis inhiant, quia commodissime militem inde in Belgium mittere possunt. ideo Fontanus anno 1600, tam enixe apud Pontificis Legatum institit, ut Bressæ comitatu rex Galliarum cederet. Thuan. l. 125. *Saluciæ Comitat.*

4. Anno 1605, Petrus Gusmanus Fontanus Prorex Insubrum citavit plerosque Italiæ regulos, per præsidem, & quæstores redituum Extraordinariorum Mediolanensis Ducatus, eaque de re Diploma evulgatum Philippi nomine, auctore Fontano: cui Malaspinarum familia luculentum responsum reposuit: quo scripto per Italiam disseminato, cum quasi classicum inter *Principes Italiæ.*

principes caneretur, intervenere Oratores apud Philippum plerique, & tandem obtinuere, ut re protelata perſecutio ejus cum tempore evaneſceret. Thuanus l. 134.

Venetiæ. 5. Mota anno 1606 controverſia inter Illuſtriſſimam Rempublicam Venetam, & Pontificem Paulum V, ob privilegia quædam, Henrico IV annitente. res parum abfuit ab amica tranſactione. ſed Hiſpanica factione, cujus caput erat Pompeius Arrigovius Cardinalis, & Paulus Sfondratus, cum Ferdinando Pacero Aſcalonię Duce Philippi apud Pontificem oratore prævalente, pacificatio iſta non ſolum irrita, ſed planè ad apertum bellum traducta, fulmine Pontificio feriente Pontifice Venetos: Mox etiam Philippus literis artificioſe confictis, operam ſuam Pontifici offert, in eum finem Fontanus militem undique ſcribit.

6. Nihilominus etiam Franciſcum Caſtrenſem extra ordinem Venetias mittit, eo conſilio, ut ſi res, quod jam præſentiebat, ad pacem inclinaret, ipſo belli ab initio incentor, compoſiti diſſidii gloriam Regi

Galliæ,

Galliæ, si posset, præriperet, aut interventu suo magna ex parte delibaret. Sic autem in Aula Romana vulgò jactabatur: Philippum disciplina à majoribus accepta, hujusmodi disceptationes de suprema „ Pontificis in cæteros principes, et- „ iam in iis, quæ ad civilem Admini- „ strationem spectant, passim atque „ in Hispania ipsa agitari, non invi- „ tum audire, præmeditato consilio „ dissimulare, quod eas ad se perti- „ nere minime existimet, quippe præ- „ potentem, & qui Pontificum moli- „ tiones in suis ditionibus, facto, non „ verbo revincere sit solitus, & cum „ hoc facit, sciat, Pontifices mutire „ non ausuros. insigni exemplo id „ Siciliensi negocio post patuit. imo „ Hispanos profunda ambitione æ- „ stuantes, bella inde nata & seditiones in privatum suum emolu- „ mentum vertere, quippe qui inte- „ rim insidiis armati sedeant, occa- „ sionem opperientes, si qui minores „ principes proscribantur, ut eorum „ ditiones invadant, sicuti in Regni „ Navarræ occupatione, parentum „ nostrorum memoria contigit. Thu- „ anus l. 137. „

 7. Cum

Neapolitanum. 7. Cum Ferdinandus Rex Hispaniæ & Arragoniæ an. 1501, Regnum Neapolitanum oppugnaret, & Urbe Tarento capta, in ea etiam Ferdinandum Frid fil. Regem Neapolitanum cepisset, per Consalvum ei ante aram juramento confirmavit, se velle ei Regiam relinquere libertatem: Sed juramento hoc susque deque habito, eum in Hispaniam captum abduxit, & Regnum Neapolitanum sibi reservavit.

Anglus & Gallus ab Hisp. decepti. 8. Ferdinandi Catholici dicti hortatu Henricus VIII. Angliæ Rex sex Anglorum peditum millia in Hispaniam miserat, ut una cum Hispanis Chirensem Ducatum invaderent, Ferdinandus verò, cui longe alia mens fuerat, copias eas eo colore comparatas in Joannem ALIBRETUM Navarram Catharinæ Fosseiæ jure possidentem convertit, qui cum esset imparatus (summa enim simulatione Ferdinandus cum eo egerat) in Galliam profugit: sicque Ferdinandus absque ullo sumptu & labore, Navarrenum Regnum occupavit. Speculum Tragicum anno 1612.

9. Sigis-

9. Sigiſmundus Bathorius ab Alphonſo Carillo Jeſuita, & à Sylvio Picolhommineo, & ab Hiſpanis, ut creditur, inductus & perſuaſus Tranſylvaniæ principatu & Walachiæ ceſſit, & in Cæſarem vel familiam Auſtriacam tranſtulit, nequicquam proceribus principatus reclamantibus. Thuan. l. 121. *Tranſ-ſylvan.*

10. Nihil novi eſt Hiſpanos uno & eodem tempore in diverſis Regnis res novas moliri, ſicuti fecerunt anno 1584, in Regno Galliæ & Angliæ. Thuan. l. 179.

11. Anno 1581, Hiſpani inter Melitenſes Equites diſcordiam ſeminarunt, dum Maturinum Scutum Romægaſſium contra principem equitum Joannem Epiſcopum Caſſerium Avernium animant, & eum in cuſtodiam dant: ex qua Romam ad cauſam dicendam citatus: quo etiam venit, & maſcule ſe purgavit, quanquam ibi commorans mortuus eſt. Thuan. l. 74. *Melitenſes Equites.*

12. Excitatæ (ab Hiſpanis) in Scotia ſeditiones, & vanis promiſſis ad defectionem ſollicitati quidam è proceribus: quorum nonnulli capite plexi ſunt. Ordines ad *Scotia.*

D 6 Erneſti

Ernesti literas anno 1594, Thuan. libro 109.

Medio-lanum. 13. *Antonius Leva* Hispanus, & Caroli V. in Insubribus præfectus, " Mediolani obsessus, existimavit, " *neque humanis neque divinis rebus esse* " *parcendum, modo decus suum & Cæsa-* " *ris dignitatem tueretur; Et stipendii* " *loco singulas Vrbes, singulosque earum* " *Cives militibus immanissime diripiendos* " *concessit, quo Sfortia* Mediolanensi Duce ejecto, tanti principatus imperio potiretur. Paulus Jovius l. 6. Elogiorum.

Sicilia. 14. *Hugo Moncada* ita Siciliæ præfuit, ut ibi multa avaritiæ & crudelitatis monumenta reliquerit, quum aliquot honesti nominis Siculos, & in his Cameratæ regulum, pro vetere licentia Siculæ Gentis seditiosius agentem, securi percussisset. Paulus Jovius libro 6. Elogiorum.

Bohemia 15. In Bohemia quam crudeli-" ter cum *Hussitis* egerint, cædendô, " rapiendo, *infantes in duas partes di-* " *videndo, & matribus dissectos infantes* " *objiciendo, dicentes; Iam habes sub* " *utraque; ad Hussitarum* Ceremoniam sub utraque specie cœnam Domini-

cam

cam celebrantium alludentes; norunt adhuc viventes.

16. Anno 1605, interceptæ ſunt literæ à Jeſuitis ſcriptæ Monacenſibus, quibus perſcriptum, uti induciȩ inter Regem Hiſpaniæ, & proceres unitos conſtituerentur ad tempus, quibus durantibus Rex Poloniæ Regno Sueciæ reſtitueretur. *Suecia.*

17. Uti Rex Daniȩ ad arma contra Suecum ſumenda incitaretur, & ut Hiſpaniæ Rex eam occaſionem captans Sundium interciperet. Metteranus l. 32. *Dania.*

18. Providendum eſt Regi Hiſpaniæ ut non niſi Catholicæ religioni addictus Rex in Poloniæ Regem aſſumatur. II. Sagaces & illuſtres Legati Cracoviam ablegandi, qui authoritatem & pondus Unioni Hiſpanicæ addant penes Electores Poloniæ, impetrentque ut unus ex filiis Regis Hiſpaniarum natu minoribus in Regem Poloniȩ eligatur. Agendum etiam cum populo Scandinavienſi, & Dantiſcano, ut claſſis contra Anglos in mare educatur. Thomas Campanella Hiſpanus Monachus diſcurſu de Mon. Hiſp. cap. 26. *Polonia.*

CAPUT

CAPUT XV.

Hispanorum Monarchiæ ardor, & regnandi Cupiditas.

" SI cui Genti illud vetus, *semper imperare, & superiorem esse aliis*, innatum, certè genti Hispanicæ id præ omnibus Nationibus ingeneratum. Eo enim omnes actiones, cogitationes, consultationes spectant, uti ejus voti possit compos fieri. Quare cum Cæsare planissime sentit, dicitque: *Si violandum est jus, Imperii causa violandum.* Eam ob causam non veretur publicis scriptis Regem suum monere, hortari, eique etiam media & rationes monstrare, quibus ad Monarchiam pertingere possit: quos inter quasi familiam ducit Thomas Campanella, Monachus Dominicanus, aliquoties excusus in Belgio, & alibi.

Hujus Monarchiæ fundamenta non levia posuisse suis visus Carolus V. dum nimirum præter illa Regna, quæ jure successionis, in Occidente, & alibi possedit, etiam Imperator Imperii Romani designatus est. cui etiam post, aliæ

ditiones

ditiones accesserunt. Hactenus etiam Hispani id unice egerunt, ut bella semper gerendo ad omnes occasiones intenti essent Et Orbis Christiani Monarchiam, quam jam olim parturire cæperunt, tandem aliquando eniterentur.

1. Eo enim pertinent INFANTIS Hispaniæ Isabellæ cum tot maritis proposita conjugia, & Franciæ Corona tam impudenter quasi hastæ subjecta.

2. Eo pertinent eodem tempore excitatæ in Scotia seditiones, & variis promissis ad defectionem sollicitati quidam è proceribus, quorum quidam capite plexi sunt.

3. Eodem astu in Argentinensis Episcopi causa,

4. Et Cliviæ ac Iuliæ ditione, atque Aquisgranensi Civitate Imperiali actum. Ordines ad Ernesti literas anno 1594. apud Thuanum libro 109.

5. Habent hoc Hispani tanquam Oraculum Delphicum, & vaticinium indubitatum; *Vltimam Monarchiam in Hispania constituendam.* Idque hac ratione. Quod cum Ordine ea ab Oriente in Occidentem,

tem, ex Asia in Græciam, & reciproco æstu in Asiam ad paucos annos sub Alexandro & successoribus dissiliens, tandem è Græcia Romam migrarit; restare igitur ut in Hispania maximè omnium occidentali conquiescat. Thuanus l. 133.

6. Hispani ut Monarchiam suam stabiliant, omnes eos, qui obstare possunt, bello, dolo, & insidiis aliis è medio tollunt: sicuti anno 1584, cum *Andino*, uti plurimorum opinio erat, venenum propinatum, quo ipse extinctus, mox *Arausionensis* per emptum à Parmensi Sicarium occisus.

7. Reginæ Angliæ eodem tempore exitium intentatum iisdem artibus. l. 79.

8. Hispaniæ Reges nihil magis actitare, quam ut Monarchiam, omnibus reliquis orbis Regibus & principatibus sub jugum missis, constituant, prolixè docet oratione sua, ad principes Germaniæ, Ancellus anno 1597, quæ legitur apud Thuanum libro 118. Quæ tota sub finem hujus Libelli apparet.

9. Sub Electione Caroli Quinti

anno

anno 1519, Episcopus Elector dixit, *Hispanos Imperium semel nactos, id vix rursum libertati suæ restituturos.* Sleidanus.

10. Hispani uti Monarchiæ suæ eo melius consulant, etiam incestas nuptias inter Magnates permittunt, & suadent, probantque, ne nimirum per divisionem Regnorum illa Monarchia Eclipsin patiatur. Thuanus l. 107.

11. Quo & adhuc Monarchiæ suæ magis consulant Hispani, operam dant, ut proceres provinciarum è medio tollantur, privilegia & libertates contrahantur, nova vectigalia imponantur, provinciales ex opulentia pristina ad tenuitatem ac miseriam redigantur. Ordines Belgici in responsione, Schwartzenburgio legato Cæsaris data anno 1575, Thuanus libro 60.

12. Agunt hoc Hispani omnibus conatibus, ut liberas tollant Regum Electiones. Id quod factum, anno 1570, in Regno Portugalliæ, & hodie in Electione Imperatorum, in Regno Bohemiæ & Ungariæ: imò ut exclusis veris hæredi-

hæredibus ipsi ad Regna suos evehant Reges, uti in eodem Regno Portugalliæ. Thuanus l. 69.

13. Cum Philippus II, filiam Isabellam Alberto Archiduci locasset, & dotis loco septendecim provincias ei assignasset, filius ejus Philippus ægre ferebat, quasi non satis Regnorum, etiamsi sine his Provinciis fuisset: id cum Philippus II. pater animadverteret, eum consolatus est, dicens, " *promisisse se quidem* " *eas provincias, sed multa esse effugia, &* " *rationes multas posse excogitari, ob quas* " *non teneatur stare promissis.* Speculum Hispanicę tyrannidis in Belgio pag. 108.

Quidvis promittas, quid enim promittere lædit?

14. Habuit olim Dux de LERMA Orationem ad Status sive proceres Hispaniæ in Arragonia congregatos, in qua verbis disertissimis dixit, REGEM HISPANIÆ *po-* " *testatem liberam habere, per fas & ne-* " *fas Regna aliena acquirendi & occupan-* " *di, quo ad diu speratam Monarchiam* " *possit pervenire: Æquum enim esse, si* " *unum caput in Spiritualibus, nempe* " *Papa, sic unum caput sit in politicis,* " *nempe Rex Hispaniæ: & ideo eum dici* " *Catholicum, quod debeat esse univer-*

salium

salis totius Mundi Monarcha. Prudentiores meritò existimant, (verba sunt Ancelli Oratoris Gallici ad principes Germaniæ anno 1597) *inexplebilem Regis Hispaniæ cupiditatem Rheni finibus minimè contineri, & hostes apud eum reputari, quicunque constituendæ universi orbis Christiani, quam diu animo parturit, in familia sua Monarchiæ remoram aut impedimentum aliquod afferunt.* Thuanus l. 118.

15. Adeo Hispani regnandi desiderio flagrant, ut non desistant in omnibus Regnis Regis Hispaniæ indigenas officiarios, vel ministros, omnis generis calumniis & mendaciis apud Regem onerare, usque dum animum Regis expugnent, & is indigenas officiis suis privet, & Castellanos ipsorum officiis succenturiet. quod ipsum est, quod Cataloniæ proceres ita indignanter ferunt, ut rem ullam. de quo etiam hinc inde in querela sua status Cataloniæ, anno 1640 emissa, queruntur, & Regem rogant, uti hac in re cautius agat, præsertim cap. 34. 35.

16. *Antonius Leva* præfectus militiæ Caroli Quinti in Insubribus, variis

variis & gravibus calumniis *Franciscum Sfortiam* apud Cæsarem oneravit, & nil intentatum reliquit, quo ipso de Regimine Ducatus Mediolanensis dejecto, ipse gubernaculis istius principatus admoveretur. Paulus Jovius l. 6. Elogiorum.

17. Carolus V. instantissime apud Ferdinandum fratrem egit, uti Romano Imperio se abdicaret, & illud in filium Philippum transferret, vel saltem Vicarium Italiæ ac Belgii constitueret? Sed respondit
" Ferdinandus, *Se vocari Augustum,*
" *vel Auctorem Imperii, non posse igitur*
" *quicquam de eo alii concedere.* Znicgresius parte 1. Apophthegmatum pag. 112.

18. Cum quæreretur, Cur Hispaniæ Rex etiam ipsi Imperatori præferri cuperet, & responderetur,
" *Europam corpori humano assimilari, Hi-*
" *spaniam quasi caput præsentare, & hac*
" *ratione Hispanum Imperatorem velle*
" *antecedere :* respondit Livius Finck
" Græcensis, *Si ita est, Germania vicit,*
" *nam illa ventri assimilatur. Constat*
" *autem, ventrem omnes regere, & omnes*
" *ventri obedire.* Znicgresius p. 1. apo-
" phthegmatum p. 309.

CAPUT

CAPUT XVI.

Hispanorum Ambitio, Arrogantia, Iactantia, Fastus.

QUod Caio Cæsari, & Cn. Pompeio usu venit, *ut alter superiorem, alter parem ferre non potuerit*, idem usu venit Nationi Hispanicæ. Dum enim solos se aquilas super nubes volantes existimant, reliquas omnes Dolopes judicant. Id quod factis & verbis ubique testatum faciunt.

1. Inde cum anno 1579. de successore Portugalliæ disceptaretur, Hispani ad terrorem Lusitanis incutiendum sic jactabant, *Nullam potentiam Hispanis parem, qui quoties arma moverint, captivam facere Franciam, proceres Germaniæ in triumphum ducere, Turcam in fugam vertere, Melitam è Barbarorum manibus eripere.* Thuanus l. 97.

2. Post occupatam Lusitaniam, Rex Philippus II. hujus nominis, quo jure, qua injuria, non dico nummos cudendos curavit cum inscriptione: *Non sufficit Orbis.* Luckius in nummis. pag. 279. Pertinent hęc etiam ad titulum de regnandi cupiditate c. 15.

3. Hispani

"3. Hiſpani cum Leydam obſe-
"diſſent, dicebant, *ſtellas cœlo prius*
"*manu poſſe detrahi, quam Vrbs* LEIDA
"*obſidione illa liberari poſſit.* Olerus in
"Lauro Naſſovica. pag. 30.

Nivernii querela. 4. Queritur *Nivernius* apud Pontificem anno 1593, teſte Thuano
"l. 108; Tanta Arrogantia Parmen-
"ſem fuiſſe, ut Meduanium, nec
"familia inferiorem, & dignitate in
"Regno præpotentem, ad ſe ventitantem plerunque diu in atrio ex-
"pectare juſſerit, renunciante cubi-
"culario, herum ſuum occupatum
"eſſe, ſæpe etiam plane excluſerit.

5. Inſigne Exemplum Hiſpanicæ Ambitionis & vanæ gloriæ cupiditatis habemus in actione inter Paulum V, & Sereniſſimam Rempublicam *Venetam*, anno 1607. Cum enim parario Rege *Henrico Quarto* Compoſitio inter Pontificem & Rempublicam tantum non confecta eſſet, nullum non lapidem moverunt, ut iſtius gloriolæ partem decerperent, ſicut ex recenſione apud Thuanum videre eſt. lib. 137.

6. Ea eſt ſuperbia Hiſpanorum, ut ſi videant res ſuas in anguſtias redactas, non ipſi primi pacis conditiones

tiones injiciant, sed vel per secundum vel tertium eam quærant. Sic anno 1597 fecerunt, cum Hispani Cæsarem, Cæsar Danum subornavit, ut proceres ad pacificationem permoveret. Thuanus l. 119.

7. Arrogans & Superbus quidam Comes Hispanus nobilem quendam ex aula venientem rogabat, quid de se in aula diceretur. Nobilis, nil mali, nil etiam boni. Comes iratus fuste eum dedolabat, & mox quinquaginta ducatos ei donabat: dicens, *ito jam in aulam, & narra, quæ tibi à me contigerunt. Nempe mala & bona.* Florista oratione de gloria.

8. *Dux Albanus* dicere solebat, se velle Belgas in ordinem cogere, ut imperata faciant, licet etiam cœlum & terra miscendum foret. Item, prius solem & lunam lumen suum perdituros & amissuros, quam ipse exactionem decimæ partis, vel decimi nummi remissurus, vel intermissurus esset. Metteranus.

9. Janus de Vergas Consilii Sanguinarii præses dicere solebat, *Vergas habet virgas.*

10. Cum *Professores Lovanienses* quere-

quererentur apud eum, quod ex Academia principem Auranienſem Philippum abduxiſſet, & ſic vim feciſſet privilegiis Academiæ, dicebat, "*Non curamus veſtros privilegios.* qualis ipſe, talis etiam ipſius latinitas.

11. Anno 1574, In furia illa Antverpienſi quidam Hiſpanus fuit, qui pulvinari ſuo hæc verba intexenda curavit. "*Caſtigador des los Flamengos.*"

12. Claſſem illam anno 1588, contra Angliam miſſam, Hiſpani vocarunt *invincibilem*, & verſus in eam hos compoſuerunt, ad Angliæ Reginam alludentes.

Tu quæ Romanas voluiſti ſpernere leges
Hiſpano diſces ſubdere colla jugo.

Sed venti & fumi, ſed fumida verba fuerunt.

13. Dux *Albanus* ipſe ſibi magnificentiſſimum *tropæum ex ære* conflatum Antverpiæ erigendum curavit, cum variis elogiis ſuorum facinorum: ſicut id deſcribit Thuanus l. 44. anno 1569. de quo jocus Areſchotani Ducis videatur infra cap. 33. Apophtheg.

14. Hiſpani poſtquam ita miſere

Indianos

Indianos tractassent, adhuc gloriati sunt, *Deum has victorias sibi largiri, quia tam justum bellum gererent contra Barbaros & infideles.* Bartholomæus de Casa.

CAPUT XVII.

Perfida violatio Fœderum & Promissorum.

NOn mirum hoc vitium Hispanis commune cum Afris esse. cum enim ex parte in locum eorum successerint, etiam hæredes vitiorum eorum facti videntur. quorum perfidia non minimum fuerit. De hac igitur quædam exempla proferenda, uti sic capiti huic fides fiat, mihi duxi.

Verum est, aliquoties Rex Philippus præteritorum gratiam promisit Unitis provinciis, Diplomata etiam de ea re promulgavit. sed Ordines aliorum Exemplo edocti, non tam creduli erant, ob id arma deponerent, vel in dolosam & fallacem pacificationem consentirent.

1. Sic enim an. 1576 Joannes Austriacus, simulans pacis conditiones cum Ordinibus, ex eo fraudis convictus fuit, quod inter chartas *Hieronymi Rhodæ* scheda reperta, ut blando

" ſermone popularium animos initio
" demulceret, eorumque ope Hol-
" landiam & Selandiam in poteſta-
" tem redigeret, quo facto, in rebel-
" les pro merito animadverteret, in-
" terim caute ſe gereret, & exquiſi-
" ta ſimulatione propoſitum tegeret.
" Thuanus l. 62.

2. Quam perfide *Vallamondus* Hiſpanici exercitus Dux in Florida fidem Ribaldo & Ottiginio datam fregerit, docet prolixis verbis Thuanus libro 41, anno 1568, ubi ultra 600 Gallorum, contra gratiæ & pactorum promiſſiones ab Hiſpanis truculentiſſime interfectos ſcribit, nec mortuis quidem parcitum, ſed oculos eis effoſſos, & mucronibus haſtarum præfixos, ſcribitur.

3. Quales amneſtiæ & gratiæ, factæ ab Hiſpanis, Philippo Secundo Rege, hiſtoria docuit in Regno Portugalliæ anno 1581, de qua ſupra videndum caput 8. ex Thuani libro 73.

4. Cum Hiſpanis nec tuto nec ſincere agi poſſe, docet Reſponſio Illuſtriſſ. Ordinum, Regulo à Rheda, Rudolphi Imperatoris Legato datâ, ubi eam plurimis exemplis

firmant

firmant, apud Thuanum libro 104.

5. Quam fidi Hiſpani etiam Sociis ſuis ſint, Caſus & interitus *Gomeronis* docere poteſt, quem Fontanus vafre Bruxellas allectum, cum duobus fratribus in cuſtodiam dedit, poſtmodum in conſpectu Hannæ, quam Orvillerius ei tradere nolebat, ſecuri percuſſit, non habita ratione, quod ex Nobiliſſima familia, quod Henoticis, qui tamen Hiſpanis addictiſſimi erant, militabat &c. Vide totam Hiſtoriam adud Thuanum l. 112. anno 1595.

6. Non multo meliori fide Hiſpani cum *Mercuriano*, maximo poſt Metuanium Duce Ligiſtarum egerunt, dum in eo occupati erant, ut Nobilitatem ab ipſo alienarent, & ipſe ad ipſorum arbitrium vivere cogeretur. Thuan. lib. 113.

7. Quomodo Hiſpani promiſſa ſervent, iis qui aliqua Officia eis præſtiterunt, docet exemplum Portugallenſium, de quibus ſupra c. 8. ex Thuani l. 78.

8. Joannes de Auſtria, cum anno 1577. ab Ordinibus contractus facti & obſignati admoneretur, dicebat, *Ordines ſuam ipſius pruden-* "

tiam potius commendare, quam de hoc
" *conqueri debere, quod pactorum læsione*
" *Regis commodum promoveretur.*

9. Axioma eſt Hiſpanicum.
" *Promiſſa Principum rebellibus Subditis*
" *facta non ligare.*

" 10. Dicit quidam Hiſpanorum,
" Promiſſa tanti roboris, quanti nox
" ſub Ecliptica: quanti umbra Sole
" punctum verticale occupante.

" 11. Ludovicus XII, Rex Gal-
" liæ, dixit, *Pœnorum & Carthaginien-*
" *ſium* perfidiam quondam celebra-
" tam fuiſſe, hoc ævo Hiſpanos eo-
" rum vices abunde ſupplere.

12. Quomodo tranſactionem Hiſpani de *Franckenthalio*, poſt exactos octodecim Menſes, in Regis Magnæ Britanniæ manus reddendo, ſervarint, res ipſa docet.

13. Anno 1577. Auſtrius pacificationem *Gandenſem* cum Provinciis Philippicis renovavit, militem etiam Hiſpanum eduxit, ſed ſtatim reduxit, ſicque poſteriora prioribus deteriora effecit.

14. Don Jan, Cum *Petrum Panem* Mechlinienſem decollare vellet, & ei diceretur, hoc pugnare cum Pacificatione, reſpondebat, *Pacifica-*

Pacificationem tantum eos concernere, qui exules & extorres essent, non autem eos, qui in Vrbibus aut patria remansissent. Egregia interpretatio. Speculum Hispan. tyrannidis in Belgio. pag. 106.

15. Male Hispanos sua servare promissa, datamque fidem non multum curare, docet Tragœdia cum *Antonio Perezio*, cui Rex literis & manu promiserat protectionem contra Accusatores Escovedi cædis, sed non efficaci cum effectu præstitit. Vide relationem rerum *Perezii* Hagæ Comitis anno 1596 editam. Sic etiam Rex datam fidem Perezio de quibusdam literis reddendis fefellit. p. 22. Nec Confessionarius fidem Perezio datam pręstitit. Promittit etiam sententiæ latę Perezio contra ipsum annullationem, siquidem literas Regis manu scriptas ad ipsum Perezium, restitueret regi. Sed omnia simulate & dolose. Vide pag. 34. &c. Revera tota illa actio cum Perezio Speculum est ingratitudinis, simulationis, hypocriseos, calumniarum, fraudum, perfidiæ, duplicitatis, injustitiæ & iniquitatis Hispanicæ.

16. Sic idem Rex literis ſua manu ad Proceres Arragoniæ Regni ſcriptis, iis omnem benevolentiam defert, quibus illi credentes exercitũ ejus admiſerunt cum Verga Duce ejus, ſed ſimul ac admiſſus, ii ipſi primi fuerunt, qui in vincula dati, & poſtmodum graviſſime ab Hiſpanis mulctati. Relatio rerum Perezii.

17. Hiſpanus licet cum Carolo Octavo Gallorum Rege pacem feciſſet, etiam alia promiſſa magnifica feciſſet, tamen clanculario miſſis literis & nunciis ad varios pricipes, inprimis Venetos, ei bellum, non ſolum per ſe, ſed etiam per alios conflat, docente id Comminæo libro 5. belli Neapolitani.

18. Dux *Oſſuna*, Regis Vicarius, " in Regno Neapolitano, an. 1617, " defendere auſus eſt, 1. *Quod pacta* " *& juramenta obligent principes mino*- " *rum gentium ad ea ſervanda, ſed Re*- " *gem ſuum tanquam maximum & po*- " *tentiſſimum Chriſtiani Orbis Regem* " *minime ad talia ſervanda obligare.* " 2. *Quod omnia promiſſa et pacta à Rege* " *facta debeant accommodari reſolutioni*- " *bus ſuorum conſiliariorum, & tempo*- " *rum variationibus.* 3. *Miniſtros ejus*

non

non obligari ad ea quæ Rex mandat, sed ea quæ Regi & Regno conducant. Baudartius l. 38. anno 1617.

CAPUT XVIII.

Hispanorum Hypocrisis & simulationes.

SIcut in violatione pactorum, promissionumque, nulli nationi gens Hispanica concedit, sic in arte Hypocritica, & artificio simulandi, mille sunt artifices. Exempla vetera & quotidiana in promptu sunt.

1. Inter quæ decumanum illud Philippi II. Regis Hispaniæ, qui cum Regnum Portugalliæ an. 1579 armata manu invaderet, minime tamen ignoraret, quam sinistri rumores de se passim, non solum in Lusitania, sed etiam per Italiam spargerentur, aliquid famæ dandum ratus, familiari sibi dissimulatione, quasi post tantos apparatus pœnitentiæ locus esset, totum negocium ad conscientiæ normam examinari voluit. quippe inde à Pontifice sollicitabatur, inde opinione hominum prægravari se sentiebat, quasi vi alienum Regnum invaderet. calcata juris ratione, cui se infirmiores subjecerant, atque adeo oppressa *Portugalliæ invasio.*

" Regni, quod ambiebat, libertate,
" cujus Ordines ea in re jus ſuum ſibi
" eripi conquerebantur, & alioquin
" jurisjurandi religione teneri ſe di-
" cebant, quo minus dictis & Impe-
" rio obedientes eſſent. Quibus diffi-
" cultatibus ut citra difficultatem ſe
" expediret, rem Theologis ſuis Com-
" plutenſibus, Jeſuitis patribus, Fran-
" ciſcanis, dum nullam bello inchoa-
" to moram interponit, per otium
" diſcutiendam permiſit. Sed Theo-
NB. logi prorſus vota Philippo congru-
Pontif. entia reſpondebant, dicentes, Nulli debere ſe jus ſuum diſceptandum ſubjicere, imò ne Pontifici quidem. Thuan. in fine l.67. Notetur modus procedendi, & quam reverenter Papæ auctoritatem hic habet Philippus. vide ſupra cap. 1.

2. Cum anno 1614 in tranſactione Xantenſi propter Juliacenſem & Clivenſem controverſiam res certis articulis comprehenſa & ſubſcripta eſſet, & cardo in eo verteretur, ut Hiſpani militem Veſalia educerent,
" quidam ex iis ridens, dixit, *An puta-*
" *tis nobis tam anguſtas conſcientias, ut*
" *verbis & ſubſcriptionibus factis jam re-*
" *ligioſe ſtare cogamur?* Sed pertinet hoc ad caput præcedens.

3. Anno

3. Anno 1576 *Ioannes Auſtrius* ſimulans pacis conditiones cum Ordinibus, ex eo fraudis convictus fuit, quod inter chartas Hieronymi Rhodæ ſcheda reperta, ut blando „ ſermone popularium animos initio „ demulceret, eorumque ope Hol- „ landiam & Selandiam in poteſta- „ tem redigeret, quo facto in rebel- „ les pro merito animadverteret, in- „ terim caute ſe gereret, & exquiſita „ ſimulatione propoſitum tegeret. „ Thuanus l. 62.

4. Ait *Bartholomæus de Caſa* libro ſuo de Tyrannide Hiſpanorum in India Orientali, quod omnes iſtas „ crudelitates, enormitates, tyran- „ nides, rapinas, cædes &c. volue- „ rint celare ſub prætextu Religionis, „ & converſionis ad fidem, & reda- „ ctionis ad obedientiam Regis Hi- „ ſpaniarum. Cum tamen illi miſeri „ homines jam minus de Deo, de fide „ ſciant, quam ante Hiſpanorum ac- „ ceſſum. In reliquo etiam cera tractabiliores, & ovibus mitiores, nunquam Regi rebellarint; ſed ad juſſa etiã gregarii militis paratiſſimi ſint.

5. *Philippus II* cum per *Perezium* curaſſet Joannem *Eſcovedum*

è medio tollendum, ad invidiam declinandam jussit Perezium culpam in se recipere, ei immunitatem promittens. accusationem etiam ab uxore Escovedi libens acceptavit, promisitque vindictam. sed omnia simulate: sicut Eventus docuit. de qua re vide relationem Perezii Hagæ Comitis anno 1596 excusam. Nam Perezius & Comitissa Eboliæ capti, sub prætextu majoris mali vitandi, in carcere detenti, & processus juris formatus, iterumque revocatus, & absolutus Perezius in carcerem retrusus. Verbo ne dicam? omnia arte hypocritica & simulatione gesta.

6. Eadem etiam simulatione Sarragosenses proceres Rex decepit, uti ex eadem relatione patet, sic uti jam olim rectè de Hispanis
" dixerit Martinus Lutherus, *Quem-*
" *admodum Hispani aliter scribunt, aliter*
" *legunt; sic aliter loquuntur, quam corde*
" *sentiunt.*

7. Quoties verò *Indos Occidentales* hypocrisi, & simulata benevolentia deceperint, docent historiæ de occupationibus & invasionibus earum Regionum, inprimis Speculum

lum Indiæ Occidentalis, authore Athanasio Inga Amstelrodami anno 1624 apud Broer Jansen in quarto editum.

CAPUT XIX.

Hispanorum Ingratitudo erga Benemeritos.

AGite nunc Proceres & Nobiles, qui Hispanis operam vestram locatis, & discite, quam gratiam ab iis expectare deceat, nempe eam, quam rusticus à vulpe, quam educarat, retulit; In primis vos Germani toties icti in Antecessoribus vestris, tandem aliquando cum piscatore semel icto sapere discite.

1. Atque ut à *Carolo V* exordiar: Is Carolus *Ferdinandum Gonzagam* plurimis nominibus optime de se meritum, inhonestissima missione à Mediolanensis principatus præfectura removit, & omni Imperio ac dignitate exutum desperatione gratiæ ad mortem summa ingratitudine compulit. Quod factum tamen, non tam Cæsari, quam Ducis Albani livori imputant. Thuan. l. 75.

2. Sed maxime memorabile est Amurathis *Egmondani*, & Philippi

" *Hornani* comitis exemplum; præser-
" tim Egmondani. de quo sic Thua-
" nus l.41: Hic exitus Egmondani
" fuit, cum annum quadragesimum
" sextum ageret, viri splendore nata-
" lium, & virtute militari, sua ætate
" cum paucis comparandi, Sanquin-
" tino & Gravelingensi præliis, quo-
" rum ei decus summa omnium con-
sensione tribuebatur, de Philippo optime meriti, nulla tamen tot tam præclare feliciterque gestorum tunc ratio habita est.

3. Egmondani casui merito addi debet Tragœdia cum *Florentio Momerantio Barone Montinio* agitata, qui Legati nomine ab Ordinibus in Hispaniam missus, ibi captus, misereque aliquot annos habitus, tandem ultimo supplicio affectus, nullo respectu sanguinis nec meritorum plurimorum habito. cujus historiam prolixissime recenset author speculi Tragici.

4. *Fontanus*, *Ibarra*, cæterique, qui in Regio consilio omnia poterant, Gentis propriæ (Hispanæ) amore, & innato aliorum despectu, stipendium tumultuantibus Hispanis numerari curarunt, de Italis, &
aliarum

aliarum nationum milite parum sollicitu. quod illi ægerrime ferentes, tot exantlatis laboribus, injuriam pro præmio, miserias pro solatio, pœnam patientiæ suæ, pro levamento desperationem rependi, tumultuari incipiunt Areschoti. Thuan. l. 109.

5. Sic *Franciscus Velascus* cum Henricum IV declinaret, cum suis Hispanis se Gravio inclusit, Francos & reliquos, qui Meduanio & ipsi militabant, urbe exclusit, & vulneratos hostium & rusticorum ludibrio exposuit. quanquam ab Henrico IV clementius fuerint tractati, quam à Duce suo. Thuan. l. 112. an. 1595.

6. *Mauritio Saxoni, & aliis*, quantumvis optime de Cæsare Carolo V meritis, quia tamen INTERIM nolebant recipere, Cæsar proscriptionem, instigantibus Consiliariis Hispanicis, minatus est.

7. *Carolus Croius Chimai* princeps, Areschotani Ducis filius an. 1584 Brugas Hispano tradidit, sed exiguo, imò nullo honore & pretio ab eo affectus. Thuanus l. 79.

8. *Sellius, Egmondanus, Campaniacus*, Hispaniæ Regis Capitanei, *pro*

Lanoia,

" *Lanoio*, qui ab Hiſpanis captus de-
" tinebatur, ab Ordinibus dimittendi
" offeruntur, magno humanitatis erga
" hominem externum (Gallus enim
" erat) exemplo, ſed majore Opinio-
" nis de ejus virtute conceptæ teſti-
" monio: quæ effecit, ut Philippus à
" Granvellano Cardinali, uti creditur,
" perſuaſus, de tantæ exiſtimationis
" Duce liberando aſſentire noluerit.
" quod Provinciæ Nobilitatem non
" mediocriter exacerbavit, quæ, peri-
" culo ſe quotidie exponi, exigua vi-
" tæ, imò nulla libertatis, ſi capere-
" tur, ſpe, indignabatur. Itaque Eg-
" mondanus & Sellius in arcem Ra-
" meckenſem, arctiore & firmiore
" ſub cuſtodia amandantur, ubi Sel-
NB. lius quadriennio poſt ex mœrore
NB. diſceſſit, Ingratitudinem ſubinde
" Hiſpanis exprobrans, & ſua, fra-
" triſque merita, tam parvo apud Re-
" gem in pretio eſſe, ſæpius ante con-
" queſtus. Thuan. l. 71. anno 1580.

9. Quo pacto *Luſitanicam* Nobilitatem præmia promiſſa flagitantem eluſerit, ſupra cap. 8. ex libro 75 Thuani relatum. Cui addendum, quod eorum petitiones ferè omnes eluſerit, & pro iis Hiſpanos

ſubſti-

ſubſtituerit. vide Thuanum loco ſupra citato.

10. Cum interceptio *Sluſæ* anno 1606 Alberto, qui *Terralium* eò miſerat, non ſucceſſiſſet, delatione Terralii, aliquot veterani centuriones comprehenſi, & Bruxellis capite plexi, non ſine occulta Hiſpanorum & Italorum invidia, Belgis paſſim clamantibus, ſuæ gentis hominibus vel minima delicta capite eſſe mulctanda, cum illis interea cuncta impune ſine pœnæ metu liceat. Thuanus l. 136.

11. Quam ingrate pro plurimis & maximis meritis Hiſpani *Catalonios* tractarint, ſpoliando templa, arces, urbes, domos, furando, rapiendo, cædendo, violando uxores, filias, &c. docent proceres Regni illius in querela illa Catholica anno 1640 Regi exhibita. Ex qua nonnulla excerpta leges ſupra capite de prævaricationibus Hiſpanorum in Regnum Cataloniæ. c. 10.

12. Siquis principum Germanorum bene de Carolo V in bello contra proteſtantes meritus fuit, fuit is *Mauritius Saxo*: tamen artibus Hiſpanorum apud Cæſarem effe-

ctum

ctum, ut nullis precibus ab Imperatore impetrare potuerit, uti Socerũ *Philippum Hassiæ Landgravium*, contra fidem datam sub custodia missum, libertati restitueret, sic ut tandem armata vi eum in libertatem asserere coactus fuerit. Sleidanus.

" 13. *Maxima satisfactio pro meritis Hispanis præstitis, est, non sperare ali-* " *quam recompensationem suorum meri-* " *torum :* Sed plerumque malam gratiam à Rege, procurantibus invidis Hispanis, referre. Proceres Cataloniæ c. 33. ubi addunt, Ducem Alcalæ tot injurias passum pro meritis suis plurimis, ut mœrore animi contabuerit, & mortuus sit. Sic & Marchioni Aytonæ, cui soli Flandriæ retentæ salus imputanda, tot molestiæ exhibitæ, ut iis mors ei accelerata. Duci de Feria, qui tam bene se semper gessit, crimini datum, quod summam pecuniæ militibus curarat distribuendam. Consalvus de Corduba ex mera animi tristitia mortuus, cum intellexisset, sua bellica facinora ita vilipendi. Dux Offunæ, cujus prudentiæ omnia Regna Hispaniæ tutissimè poterant committi, captus, in carcere ex mœrore

Dux Alcalæ.

Marchio Aytona.

Dux de Feria.

Consalvus de Cord.

Dux Ossunæ.

rore animi obiit. Plura ibidem exempla allegantur eorum, *quorum gratia in fine laborum fuit, flere, dolere, queri.* c. 33.

14. Et in sequenti capite 34. docent Nobilitates Cataloniæ, quantumvis vitam, bona omnia, in servitiis Regis consumpsissent, nullam esse apud Castellanos mentionem vel cogitationem iis merita sua recompensandi. Nec verò aut *Bracantius*, aut *Montis Regalis Marchio* sperata à Rege Philippo præmia & dignitates obtinuerunt. unde uterque cum maximum dolorem cepisset, ille ex eo paulo post discessit, missam sub Castellensium jugum patriam, neque promissa à Rege præmia præstari, mœrens. Thu. l. 78. Minus grate Philippus II. cum Antonio Perezio egit, sicut ex relatione rerum Perezii apparet.

15. Ingratitudo Hispanorum in *Ambrosium Spinolam* inde manifesta fit, quod non tantum promissum salarium Rex malitiose ei solverit, sed etiam debita, quæ apud varios nomine Regis contraxit, & pro iis fidem suam obligavit, Rex non dissolverit, sic ut moriens filio nihil *Ambrosius Spinola.*

præter

præter debita reliquerit: quare etiam ille hæreditatem dubitavit adire.

CAPUT XX.

Hispanorum auxilia Qualia.

QUod, nescio quis veterum dicere solebat, *A socio infido qui consiliumpetit vel accipit, ex poculo inauruato venenum bibit:* Idem de iis, qui ad Hispanorum currunt auxilia, dici potest. Hispani enim quod aperte facere non audent, aliqua adhuc religione, vel sanguinis ratione impediti, vana defensionis oblatione & ostentatione indirecte moliuntur.

I. *Perronius Cardinalis* sane ita sentit, & cum eo alii: sic enim is Oratione anno 1607 ad Pontificem Paulum V habita, de pacificatione cum *Venetis* conficienda disserit, *Hispanos ambitione ingenita tempore usuros, ac futurum, ut sua Sanctitas hinc inter Sectarios, inde inter Hispanos, qui se pro auxiliaribus venditabant, miserrime & periculosissime periclitetur, & conflictetur.* Et mox: Ab Hispanis intutum, atque adeò exiguum præsidium futurum: eos ferè

ferè amicis onerosos & importunos esse. Thuan. l. 137.

2. *Philippus* Hispaniæ Rex literis artificiose scriptis, operam suam Pontifici (Paulo V,) offert, (contra Venetos.) in eum finem *Fontanus* militem undique scribit, nihilominus etiam Franciscum Castrensem Venetias mittit. Sic autem in Aula Romana vulgo jactabatur, Philippum disciplina à majoribus accepta, hujusmodi disceptationes de suprema Pontificis in cæteros principes, etiam in iis quæ civilem administrationem spectant, passim, etiam in Hispania ipsa agitari, non invitum audire, præmeditato consilio dissimulare, quod eas ad se pertinere minime existimet: quippe præpotentem, & qui Pontificum molitiones in suis ditionibus, facto, non verbo, revincere sit solitus, & cum hoc facit, sciat, Pontifices non mutire ausuros. quod insigni exemplo in *Siciliensi* Regno post patuit. Imò Hispanos profunda ambitione æstuantes, bella inde nata & seditiones in privatum suum emolumentum vertere, quippe qui interim insidiis armati sedeant, oc-

Notato. Domus Austriaca.

casionem

casionem opperientes, si qui minores principes proscribantur, ut eorum ditiones invadant. Thu. l. 137.

3. Cum an. 1575. tumultuarentur *Genuenses* Nobiles & Cives, dolere sibi istas dissensiones Philippus artificiose simulavit, permisit etiam ut
" frumenta ex Sicilia in Urbis usum
" importare possent; At Austrius re-
" nudato animo, in bellum contra Ge-
" nuenses se consensisse ingenue fas-
" sus est: maluisse quippe se, cum vi-
" deret eos, qui in urbe erant, æquas
" conditiones recusare, ut antequam ad alterius principis Philippo minime amici patrocinium confugerent, interse confligerent: etiam non cessabant ejus ministri magis ac magis nobiles in cives inflammare. Sed principum interventu Spes Philippi elusa est. Thuanus libro 61.

4. Hispanorum auxilia plerunque in exilium eorum quibus ea ferunt, cedere, docet *Friderici Arragonis* ruina. *Consalvus* enim Ferdinandi Regis Generalis, quæ in exilium Friderici destinata erant, vires auxilii ferendi causa adductas simulans, aliquot Calabriæ oppida,

copiarum

copiarum ſuarum ſecuritatis colore, tradente ipſo *Friderico*, occupavit, & paulo poſt Regis & ſua conſilia patefecit. Filius etiam Friderici contra datam fidem retentus, in Hiſpaniam miſſus, & carceri ibi mancipatus eſt. Vide hiſtoriam in ſpeculo Tragico anno 1501.

5. Occultæ inter *Meduanium* Henoticæ factionis principem, & Parmenſem, ex æmulatione ſimultates exortæ, ſuſpicionibus auctæ erant, quaſi Parmenſis, juſſu Philippi Regis Hiſpaniæ, expeditionem in Galliam ſuſcepiſſet, ut ſpecie amicitiæ & auxiliorum omnem authoritatem Meduanio præriperet, & impoſitis in loca capta præſidiis, Gallos ad libertatem adſpirantes, duro ſervitutis jugo opprimeret. Thuanus l. 99.

6. *In Italia* paucæ ſunt hodie ditiones, quæ non prætextu patrocinii à ſacro Imperio avulſæ, ſub crudeli Hiſpanorum jugo gemant: nec melius Germaniæ ſperandum. (notate Electores & principes Germaniæ, quibus tantum non ſpes & anchora omnis in Hiſpanis ſita.) in qua etiam

Rhein-

Rheinberga præter jus omne & æquitatem, præsidio externo tenetur, &c. Ancellus Oratione sua ad principes Germaniæ, apud Thuan. lib. 110, anno 1597.

7. Pro auxilio, quod Hispani *Neoburgio* in Controversia Juliacensi & Clivensi præstiterunt, vix habet vel ipse Neoburgicus, vel alius ex Subditis, quod eo nomine Hispanis gratias agat: ita non solum principatus exhauserunt, verum etiam tanquam legitimi Domini eorum essent, omnia in iis pro lubitu suo gesserunt.

8. Hispani sub specie & prætextu, quod Sociis & confœderatis velint subvenire, quærunt, quomodo ipsi Urbes possint in suam potestatem redigere. Id quod *Lugdunensibus* in Gallia fere contigisset, anno 1594. quare fraudem animadvertentes, se cum Henrico IV conciliarunt. Thuanus l. 104.

9. Ait Thuanus lib. 107: „Solent „Hispani Regnorum patrocinium „suscipere, sed patrocinia illa ad fi„nem secum dominationem trahunt.

10. Sic *Bohemiæ & Hungariæ* Regna, quæ per Electionem deferuntur

tur alias: Sic Respublica *Genuensis*, specie protectionis sub jugum missa. Atque inferioris patrocinium inutile, æqualis fructuosum, superioris suspectum ac periculosum.

CAPUT XXI.

Hispanorum Artes in Conjugiis contrahendis.

PRoverbium apud veteres fuit, *Ex una & eadem fidelia duos dealbare parietes*: Id quod populares nostri ita interpretantur; Una filia duos parare sibi generos.

1. Artem hanc, qua ita rebus suis eò melius consulere possint, in quotidiana quasi praxi habere Reges Hispaniæ, patet in Conjugio pro *Isabella*, Infante Hispanica, parando, modò eam *Guisio*, modò Ernesto, modò cum alio jugandam censentes, uti Thuan. scribit l. 106. & l. 107. vide supra cap. 6.

2. Nuptiæ Hispanicarum filiarum vix cuiquam bene cesserunt. vel enim steriles fuerunt, uti Alberti cum Eugenia; vel Bellorum causæ, ut Sabaudi: vel Hispanorum in secreta principum eorum, qui duxerunt, inquisitiones, uti in Austriis. Anonymus.

3. Phi-

3. Philippus II Hispaniæ Rex uxorem legitimam Isabellam Regis Christianissimi Sororem curavit è medio tollendam, ut illa extincta cum sororis filia conjugium contraheret, vide Thuan. l. 71. ex Apologia Aurasionensis.

4. Inter Austriacos & Hispanos nihil novi est, ut fratres sororum filias ducant. Sic Ferdinandus Austrius Ferdinandi Cæs. filius, Annam Catharinam Guilhelmi Mantuæ Ducis & Helionoræ sororis ipsius Filiam duxit anno 1580. uti ante eum Philippus familię princeps Annam, Cæsaris patruelis & Marię Sororis filiam, &c. Thuanus l. 71.

5. Cum anno 1581. res in eo essent, ut Andinus cum *Elisabetha Angliæ* Regina nuptias contraheret, Philippus apud Regem Galliæ, per Oratorem suum expostulavit, & ab eo tempore Consilia sua ad res in Gallia turbandas direxit. Thu. l. 73.

6. Quid damni Hispanorum Amicitiæ & Matrimonia Gallis attulerint, docet Euagrius de Origine & Gestis Francorum libro 1. fol. 40. & lib. 2. fol. 66. & lib. eod. fol. 86.

7. Quid

7. Quid Anglis profuit matrimonium *Mariæ* cum Philippo? Quid Portugalliæ? nisi uti hac prætensione Regnum illud in manus & sub jugum Castellorum venerit.

8. Poloniæ Rex nunquam excidisset Regno Sueciæ, nisi credulam aurem Jesuitis Hispanis, quibus accessus per conjugium Austriacum liberior patebat in Regnum & ad Reginam præbuisset.

9. Hispani aliquoties pessime Sabaudos conjugiis deceperunt, & causas maximi belli præbuerunt conjugia ista Hispanica.

10. Hispani filiabus suis opimas dotes assignant, sed promissa non servant. Sic cum Philippus II animadverteret, filium ægre ferre, quod Isabellæ filiæ septendecim provincias assignasset, eum consolatus fere his verbis est, *Promisisse se quidem* " *eas provincias, sed multas rationes &* " *causas posse inveniri, quæ eum hoc pro-* " *misso absolvant.* Speculum Hispani- " cæ tyrannidis pag. 108. Et sunt, qui suspicentur, eam fuisse arte sterilem factam, ut sic provinciæ, ea demortua, ad Hispaniæ Reges devolverentur.

 11. Ex-

11. Expedit, ne Rex Hiſpanorum unquam mulierem ex domo Auſtriaca Matrimonio ſibi jungat, niſi cum illius interventu hæres fit novæ alicujus regionis. Thomas Campanella c. 30.

Caput XXII.

Hiſpanorum in Germanos Odium.

Recenſui ſupra cap. 5. Hiſpanorum prævaricationes in *Imperatorem*, & Romanum Imperium. Ei, ratione ordinis, caput de *Odio in Germanos* Gentis Hiſpanicæ ſubjungi debebat. Sed non tum veniebat in mentem peculiarem de Germanis facere ſectionem, cum nulla ferè tum meſſis hujus rei ad manum eſſet. Sed cum, progreſſu temporis & lectionis peculiaria exempla odii Hiſpanici erga Germanos ſeſe ingererent, malui ea hoc loco, & capite, quo nunc apparent, ponere, quam plane omittere, quo nimirum populares mei non imaginentur ſibi, peculiare ſibi præ aliis ab Hiſpanis expectandum privilegium.

1. Non autem hodie vel heri demum Germanis ſuam inviderunt felicitatem, ſed jam multo retro

annis

annis odio nostri flagrarunt Hispani. Nam jam circa annum Christi 1419 Germanos Mercatores Rex Hispaniæ navigatione in mari Hispanico prohibuit, illos etiam mandatum hoc susque deque habentes male mulctavit, quadraginta octo naves cepit, mercatoribus ad internecionem cæsis. Albertus Crantzius in Saxon. suo l. 11. c. 3.

2. Cum anno 1582 ad Insulam Terceram inter Gallos & Hispanos pugnatum esset, Sancta Crucius Hispaniæ militiæ præfectus, Germanos milites arbitrio Hieronymi Ladronii permisit, ut is pœnas dignas ab iis exigeret. Thuan. lib. 75.

3. Ait *Ancellus* Gallicus Legatus oratione sua ad principes Germaniæ anno 1597 habita, Regem *Hispaniæ non ita bene erga Germaniam affectum, quippe qui communis patriæ periculum, quod à Turca imminet Imperio Romano, manifeste negligat, & tam medicis auxiliis Cæsarem, cæterosque Gentiles suos juvet.* Et mox: *eum (Hispanum) per agnatæ familiæ (Austriacæ) eversionem, incrementum suum quærere.* Thuanus lib. 118. NB.

4. Quam rigide & præter digni-

F 2 tatem

tatem Electoralem Joannem Fridericum Saxonem, & Philippum Hassum tractarit Carolus V, prolixe describit Sleidanus libris suis, hinc inde.

5. Clementiam Caroli V. forte sunt qui laudant Duci Geldrensi capto præstitam, sed plures sunt, qui æquo inclementius cum eo & Ducatu ejus actum affirmant.

6. Hispanorum crudelitates & libidines in Ducatu Wirtenbergensi exercitatas, nemo melius describit quam Sleidanus in Commentariis suis.

7. Solent Hispani Germanis eas Urbes committere regendas & tuendas, quæ longius sitæ, vel alioquin non optime munitæ, ut si eæ amittuntur, dedecus & infamia ad Germanos potius, quam ad Hispanos redundet. Id quod cum in aliis, tum in Lingæ & Grollæ deditione apparuit, quibus Hermannus & Fredericus Bergenses fratres præfuerant. Thuan.l.119.anno 1597.

8. Anno 1590. præfectus Hispanici Exercitus una vice sexaginta milites Germanos, quod stipendium flagitassent, suspendio necavit;

cavit; Et post aliis ad Exemplum, ut tacerent, centum quinquaginta, partim dextram manum amputavit, partim tres primores digitos ademit.

9. Hispani tempore Caroli V in præsidiis in Germania dispositi, non minores enormitates, qui à partibus Caroli V stabant, exercuerunt, quam in eos, qui ab altera parte. Sleidanus.

10. Quomodo in Bohemia tempore hujus belli Germano-Bohemici egerint, ii qui adhuc in vita sunt, testari possunt: dum nonnulli Infantes ab uberibus raptos, & in duas partes divisos, matribus partes dissectorum infantum iterum in sinum projecerunt: dicentes, *jam habes sub utraque, ad Hussitorum nempe nomenclaturam alludentes, qui ibi vocantur* illi, qui sub utraque, scilicet, Cœnam Dominicam celebrant. Ex relationibus.

11. In calamitate Palatina, qua Hispani inferiorem Palatinatum occuparunt, contigit, uti miser aliquis Sartor, ob verba aliqua ex impatientia prolata, & ob ea apud Capitaneum delatus, captus ad eum duceretur, & , cum is in-

gentem ſummam pecuniæ ab eo exigeret, quam nec is ſolvere poterat, nec quiſquam pro ea ſpondere vellet, è veſtigio hominem in crucem ſuſtulit, nihil uxore & liberis ſeptem, pro eo deprecantibus, proficientibus. Relationes.

12. Plura Odii Gentis Hiſpanicæ in Germanos exempla ſupra relata ſunt, capite de prævaricationibus Hiſpanorum in Imperium *a*, præſertim tempore invaſionis ab Admirante in Ducatum Clivenſem, Epiſcopatum Colonienſem, Weſtphaliam, &c. Nec omitti hic debet Crudelitas Parmenſis in Gubernatorem Noveſianum *Clut*, *&* *paſtorem*, quos de feneſtris ſuſpendit, & illum quidem ægrotantem. ut nihil jam dicam, quam maligne militibus Germanis ſtipendia apud ipſos facientibus, ſalaria ſua ſolvant, & cauſa leviſſima, ſæpe etiam ex trivio arrepta, ſuſpendio necent, vel ſecuri percutiant.

a *cap.* 5.

13. Si Rex Hiſpaniæ, ait Campanella, occupare vult Germaniam, neceſſe eſt ut prius fiat Imperator, atque deinde ſub ſpecie oppugnandi Turcam, in Ungariam tendat: ſicque

ſicque ex improviſo Proteſtantes oſcitantes opprimat cum civitatibus Imperialibus ſumma celeritate, ne illi prius ſe ad opponendum expediant; id quod Carolus V affabre perfecit: faciatque colonias novas cum novis legibus & Miniſtris Italis: quandoquidem Clima illud Hiſpanos non fert, &c. c. 23. diſcurſus de Monarchia Hiſpanica. Vide etiam quædam ſub finem ſequentis capitis, huc facientia.

CAPUT XXIII.

Hiſpani pacem quomodo tractent & ſervent.

HIſpanos una manu panem oſtentare, altera verò lapidem celare, una ramum olivæ præ ſe ferre, altera gladium clanculum ſtringere, pacem tractare, bellum parare, hoc Capitulo probandum erit.

1. Joannes Auſtrius, Regis ſummus Præfectus in bello Belgico, ſimulans pacis conditiones cum Ordinibus, ex eo fraudis eſt convictus, quod inter Chartas Hieronymi Rhodæ ſcheda reperta, ut blando ſermone popularium animos initio de-

demulceret, eorumque ope Hollandiam & Selandiam in potestatem redigeret, quo facto in rebelles pro merito animadverteret, interim caute se gereret, & exquisita simulatione propositum tegeret. Thuan. l. 62. anno 1576.

2. Idem anno 1577, cum Provinciis Philippus Gandensem pacificationem renovavit, militem etiam Hispanum abduxit, sed omnia simulate, omnia dolose, uti ex sequentibus ejus actionibus serò, & non sine damno didicerunt provinciæ. Porrò hoc uberius probant & docent *proceres uniti*, responsione sua ad Ernestum anno 1594, exemplis plurimis allatis.

3. In illa tractatione Cæsaris Maximiliani Hispani non minus turpiter & dolose *Proceres* deceperunt: Bura, Leerdamo, Schonhofa, Aquis veteribus, Bommela, captis & expugnatis, & Zirzea ad summas angustias redactis:

4. Exemplo decretæ Unionis & pacificationis Gandensis an. 1576. juratæ, & à Philippo ipso in speciem approbatæ, sed minime servatæ.

5. Exemplo Coloniensis Colloquii,

quii, interim Hannorum & Atrebatum fides ſollicitata, & Trajectum ad Moſam vi occupatum.

6. Exemplo Colloquii in Flandria inſtituti, etiam Reginæ Eliſabethæ Delegatis ad id vocatis, interim Claſſis illa formidanda apparata, & ad Anglos opprimendos miſſa. Thu. l. 109. ubi pluribus fraudulentas Hiſpanorum artes *Ordines* enarrant.

7. Quod paci Hiſpanicę non fidendum, docent *Proceres Unitarum provinciarum*, reſponſione ad *Rudolphum* Imperatorem anno 1591. Et nummus ab iis eodem tempore cuſus. Cujus ſumma hæc: Sedet in ſepi viminea *virgo Batava*, ſuaviter ſomnum capiens, cum adſcriptione: *Pax patet inſidiis*. Fracto repagulo hoſtes confertim inſiliunt, incautam opprimunt. Rurſus in alia ſepi ſedet eadem, excubans, gladio inſtructa, præſidiariis cincta, cum verbis, *Tuta ſalus bello eſt*. clauſo repagulo hoſtium machinationes eluduntur. Luckius in Nummiſmatis p. 328. Huc etiam pertinet alius Nummus an. 1595. ab iiſdem factus. Luckius pag. 353.

8. Cum induciæ cum Fœderatis Provinciis essent factæ, Hispani dicebant; *Regem Hispaniæ iis induciis unum gradum sive passum resiluisse, uti data occasione, multo plures passus prosiliret.* **Dat de Coninck met den Peys ofte Treves eenen stap achterwarts getreden sy / om voorder te springen / als het hem te passe comt.**

9. Induciarum Conditiones non satis candide & sincere ab Hispanis servatas, liquere potest ex responsione Peckio ab *Illustriss. Ordinibus* data.

10. Hoc extra dubium est, Hispanos non alium in finem pacem tractare, quam ut interim vires suas colligant, & rebus suis quacunque ratione consulant: secreta adversæ partis rimentur, aliquos corrumpant, & in suas partes trahant, discordiarum semina faciant. Experta est Gallia, Belgium, Sabaudia. Videantur de hoc varii discursus juris publici facti. Et in manu omnibus est Consultatio illa Epistolica Lipsii.

11. Adhibenda est summa opera, (verba sunt Thomę Campanellę discursu

discursu de Monarchia Hispanica cap. 23.) ut spargantur perpetuæ discordiæ semina inter Marchionem Brandenburgicum, Landgravium Hassiæ, & Ducem Saxoniæ, Brunswicum, & Palatinum Rheni, Ducem Wirtenbergensem, & minutas Respubl. Germaniæ. Sed hoc ad prius caput debet referri.

CAPUT XXIV.

Hispanorum Largitiones & pecuniariæ Corruptiones.

REges Hispani non minus hastis argenteis & aureis pugnare didicerunt, quam ipsorum milites ferreis: forte etiam decuplo plus iis efficiunt, quam milites ferreis armis. Ideò nullis largitionibus quantumvis magnis parcunt; quo vel eos, qui Regibus & Magnatibus à Consiliis & secretis, aureo illo imbri sibi obsequentes reddant: vel præfectos Castrorum, Castellorumque perpluant, & sibi subjugent.

Prioris modi exempla si vis, ecce ex Illustri Gallico Historico unum atque alterum.

1. Nicolaus Hosta Villaregii

 Secre-

Secretarius CIƆ CC aureorum annuam pensionem habuit, ut omnia, maxima, minima, quæ apud Villaregium videret, ad Hispanum referret. qui re detecta, cum sibi fuga consulere vellet, in aqua submersus, & inde extractus; in cadaver ex lege actum. Thuanus libro 132.

2. Carolo Hawarto Northinghamensi, anno 1605 Legatum agenti apud Hispanum, lautia data fuerunt, quæ XXXCIƆ aureorum pretium excedere dicebantur. Missa & ad legati uxorem munera. Filii, gener, Villongsius & Norritius, & alii egregie munerati. XIICIƆ aureorum pensio etiam legato, uti fertur, promissa. Thuanus l. 133.

3. Consiliariis Friderici Electoris Saxoniæ Hispani, in Electione Caroli, multam vim pecuniæ obtulerunt. consuluerunt ii Electorem, an liceret accipere. is respondit,
" licet, accipiatis, sed scite, vobis
" postmodum non licere esse meis
" Consiliariis. Znicgrefius in Apophthegmate.

4. Cum anno 1607 initia Consulta-

ſultationis de induciis inter Ordines & Archiduces fierent, ſtatim pater Neyus animos quorundam oppugnare aggreſſus fuit. qua de re publice Barnefeldus conqueſtus fuit. Thuanus l. 138.

5. Ancellus Orator Regis Galliæ ad principes Germaniæ anno 1597, in oratione ad eos habita, ait: Regem Hiſpaniæ nihil reliqui » facere, quo principum miniſtros » muneribus, & præmiis, inter- » dum etiam minis corrumpat: eo- » rumque opera Dominos in pote- » ſtate ſua habeat, & ſpecie patro- » cinii undique circumſeſſos arbi- » trio ſuo circumagat. Exempla in Italia omnium oculis ſubjecta eſſe, in qua paucæ ſunt hodie ditiones, quæ non eo prætextu à Sac. Imperio avulſæ, ſub crudeli Hiſpanorum jugo oppreſſæ gemant.

Superſedeo jam recenſere corruptiones illas, quibus Gubernatores Urbium, & arcium, & cum iis Urbes ipſas, in naſſas ſuas protrahit.

6. Notæ ſunt traditiones Urbis Gertrudis-Montis, Geldriæ, Zutphaniæ,

phaniæ, Doesburgi, &c. Taceo largitiones quas facit in Aſſaſinos & ſicarios Regum & magnatum. Cujuſmodi in vitas Regum Galliæ, Angliæ, Reginæ *Eliſabethæ*, in Regis *Iacobi*, in vitam *Wilhelmi* & *Mauritii* Auraicorum principum. Excutiantur Indices hiſtoriæ Thuani, Metterani & aliorum, ſufficient hi largam eorum meſſem Lectori.

7. ArchiPalatinatum Hiſpani occuparunt pecunia magis, quam vi militari. Alius de pecunia Hiſpanica dixit, *Hiſpanicos duplones facere duplices nebulones.* Aurum Hiſpanicum magnam vim habet, ait Thomas Campanella c. 26.

CAPUT XXV.

Hiſpani Sicarii, Aſſaſini.

DOlus an virtus, quis in hoſte requirat? Ethnicorum hoc olim fuit Symbolum. Hodiernorũ verò noſtrorum Hiſpanorum crede eſſe Euangelium quintum. De aliis dolis & fraudibus jam ſupra: ſed reſtat alia doloſa fraus, vel fraudulentus dolus, quo, cum aperto marte non poſſunt rebus ſuis conſulere, ſicariatas & clancularias inſidias, quibus

quibus vitæ & saluti Regum & Principum laqueos ponunt, adhibent. Assasinatum dico, ab Assasinis dictum, quorum utinam, nec nomen unquam, nec artes in notitiam hujus ævi & orbis pervenisset, non ita nunc multorum Regum, & Principum sceptra, Regna, coronæ, vitæ, de tenui penderent filo, vel desperati alicujus mancipii Hispanici projecta audacia. Sed quorsum hæc præfamina? quin videamus, an exemplis hoc thema possimus roborare. Non ea ex India, unde gemmæ, aromata, aurum, & alia, quibus hodie Europæus orbis ditatur, petenda: in vicinis Regnis ea nata, nascunturque.

1. Galliam primo loco ponamus. *Gallia.* Plane hospes sit rerum, patrum & nostro tempore in Gallia gestarum, qui nesciat Hispanos Petrum Audœnum Carthusianum concitasse *Audœn.* & induxisse, ut Henrico Quarto insidias strueret, quanquam quæ Regis erat clementia, licet jam sententia damnatoria à summo Consilio pronunciata in eum esset, vitæ venia ei à Rege facta. Thuanus libro 118. sub finem.

2. De

Andr. 2. De Andrada vide caput de variis artibus Hispanorum rebus suis consulentium.

3. De aliis insidiis vitæ & saluti dicti Regis structis vide supra Caput sextum.

Anglia. 4. Quæ Angliæ Reginæ insidiæ, artibus Hispanorum structæ, docet caput 7. nihil necesse ut hic repetantur.

Belgium 5. Illustrissimo principi *Auraico* sexies per Emissarios, & emptos sicarios Hispanicos, insidiæ structæ. 1. Anno 1582. per Joannem Jauregium. Thuan. libro 75. 2. & rursus eodem anno per Nicolaum Salcedonem &c. qui etiam vitam Alenzonio Brabantiæ Duci eripere conatus. 3. Per Petrum du Vignon. 4. Per Balthasarum Gerhardi, qui etiam cædem toties tentavit in principem Wilhelmum, ac tandem perpetravit sexto Idus Julias, Anno 1584. Thuanus libro 79. Speculum Hispanicæ Tyrannidis in Belgio p. 84.

6. Insidiis iisdem vita *Mauritii* principis Auraici exposita fuit ab Hispanis, dum nimirum Hispanico auro corrupti nonnulli ei vitæ hujus

hujus uſuram eripere conati ſunt, qui ſpontanea confeſſione id faſſi, & propterea etiam merita pœna affecti ſunt. Quos inter 1. Michael Renichovius 1594. 2. Petrus de Fourt. 3. Petrus Panne, & alii, de quibus Thuanus & Metteranus.

Jam minorum Gentium hominum exempla non allegabo, cum ex hiſtoriis & experientia conſtet, nihil inſidioſius & exercitatius in hac arte, gente Hiſpanica.

7. Rex Philippus cum neſciret, quomodo Joannem Eſcovedam aliquarum novitatum ſuſpectum è medio tolleret, ne fratrem Joannem Auſtrium offenderet, deliberat, an veneno, vel alio modo id faciat. tandem per Antonium Perezium curat perficiendum. Vide relationem Hiſtoriæ Antonii Perezii. Pari modo, poſtquam Perezius elapſus in Galliam veniſſet, diverſis rationibus ejus vitæ, per diverſos Emiſſarios & Sicarios, inſidiati ſunt. Vide relationem rerum Perezii. anno 1596. Hagæ Comitis excuſam.

8. Quo-

8. Quomodo Diazius proditorie per Assasinum, (hominem à Germano fratre conductum) interfectus, authore & patratore cædis impunito, legi potest apud Sleidanum.

Nihil verò frequentius apud Hispanos quam veneno vel ficu Hispanica (sic ut proverbio locum ista consuetudo fecerit, *einem ein Spanische feig kochen*) è medio tollere, quos aperto marte non possunt.

CAPUT XXVI.

Hispanorum Crudelitas & Tyrannis promiscua.

ETsi ex superioribus satis constare potest, nihil crudelius, nihil immanius, nihil magis tyrannicum Hispanis dici, vel cogitari posse, non tamen abs re fuerit, exempla quædam, quæ capiti huic roborando & confirmando esse possunt, hic allegare, ne circa hanc partem Lector habeat, quod desiderare in industria mea possit. Unde autem potius, quam à Germania inferiori, quam Belgium hodie vocare solent, initium faciam?

1. Quot ex primaria Nobilitate Albanus,

Albanus, partim per Carnificem, partim per bella, avaræ morti transmisit? Nunquid non ipse gloriatus ante mortem, *suo jussu ultra* 18000 " *homines à Carnifice diversis mortibus* " *interfectos, non numeratis iis, qui in prælis perierunt*? Carnifices, genus hominum aliorum cæde gaudens, magis cædendo, quam Albanus damnando, lassati. Dabantur promiscuè, Nobiles, non Nobiles, in Carceres deterrimos, multi non auditi, plures non convicti ad mortem rapiebantur, bona ipsorum in fiscum redigebantur: Omnes arbores per Hollandiam patibulorum vices supplere cogebantur. Suspendebantur viri & mariti. Vxores eorum locabat suis Hispanis nolentes volentes. Uxores etiam supplicio ultimo affecit, quæ viros & maritos vel vestibus mutatis, vel alia ratione periculo eripuerunt, & adjumento iis fuerant ut effugerent. Conjugia rescidit. Ultrajecti Mosæ patrem ultimo supplicio affecit, quod filium exulem secum, & in ædibus suis, unam noctem pernoctare sivisset. Alius morte ab eo affectus, quod viduæ, cujus maritus "

ob

" ob religionis confessionem marty-
" rium subierat, aliquantulum fru-
" menti dedisset. Alium morte mul-
" tavit, quod amico in Anglia exu-
" lanti aliquantulum pecuniæ misis-
" set. Infantes baptizatos rebaptizavit. Infantes ex utero matrum excisi, & pugionibus confecti. Uxores in conspectu virorum stupratæ, si resistere vellent, capiebantur & suspendebantur, ut Risselæ factum, teste Speculo Hispanicæ tyrannidis, pag. 36. Sed longum foret cuncta referre. Ideò remitto Lectorem ad ea, quæ supra retuli, & ad Speculum dictum in pag. 36, 37, 38, 39, &c. ubi tyrannides Hispanorum Risselæ, Dornicæ, Roterodami, Mechliniæ, Zutphaniæ, Nardenæ, Harlemi, Oudewateræ, Trajecti, Antverpiæ, exercitatæ, describuntur.

2. De tyrannide in Reformatos exercitata, vide supra, cap. 3.

3. De crudelitate Hispanorum in Clerum Lusitaniæ, ubi ultra bis mille ex clero varia peste ab Hispanis perierunt, videatur Thuanus libro 132, & supra capite octavo.

4. De Hispanorum crudelitate, inhumanitate atque odio in Belgas, vide Ordinum præpotentium Demonstrationem, in Responsione Schwartzenburgio Cæsaris Legata anno 1575 datam.

5. Anno 1576. Hispani tumultuantes ob non soluta stipendia, Antwerpiam capiunt, occisis duobus millibus civium, & præsidiariorum, præter eos, qui aquis suffocati, aut incendio absumpti: mulieres nudæ in altum suspensæ „ lapidibus immanis ponderis ad pedes appensis: aliis scipiones in „ pudenda injecti: aliæ per mammas, viri denique per genitalia, „ majori sævitia, incertum, an fœditate, fidiculis distenti, ex laqueari dependebant, sine cibo inter „ cruciatus & ejulatus relicti, donec „ vel ab iis ingenti pretio redimerentur, aut ipsi, siquid occultaverant, „ indicarent: Pueri etiam ante parentes torti, & inter tormenta exanimati: Inde collecta ingens pecuniæ summa, quæ ab ejusmodi rerum peritis ad quadraginta auri amphoras, hoc est, vicies centena millia aureorum æstimata fuit, in ea „ summa

summa minime comprehensis gem-
" mis, & pretiosis Cimeliis, aureis
" & argenteis Vasis. Nec minoris
" damnum incendii æstimatum fuit.
" tanta præda collecta, ut gregarius
" miles 10 aureorum absumere alea
" parvi æstimaret. Quidam ex puro auro manubria ensium, pugionum, conficienda curabant: quidam integras Loricas & galeas. Thuanus libro 62.

6. Scribit Bernhardinus Mendoza, à mense sextili anno 1576, ad edicti ultimi promulgationem anno 1577, amplius 30000. provincialium ab Hispanis fuisse cæsa. Quod, an sævitiæ potius, quam virtutis, quod ille voluit, exemplum æstimari debeat, dijudicandum illis relinquo, qui tot millia hominum ab Hispanis seu spoliata, seu interfecta, ex oppidanis, & imbelli turba constare, ex fide rerum gestarum reputabant. Thuanus l. 64.

7. De crudelitate Hispanorum in Gallos in Insula Tercera anno 1582, idem Thuanus l. 75, & supra capite 6.

8. Similis crudelitatis Hispanicæ in gentem Gallicam exemplum recenset

recenſet Thuanus l. 41. ſub finem, in Inſula Florida, in qua 600 Gallos contra fidem interfecerunt, oculos eruerunt, & haſtis præfixerunt. Ribaldum cum Ottigino contra datam fidem trucidarunt, corpora eorum cremarunt, Ribaldi barbam mento abraſam tanquam trophæum in Hiſpaniam miſerunt.

9. Antonius Leva Caroli V Capitaneus, & præfectus in Inſubribus, Mediolani obſeſſus, exiſtimavit, neque humanis neque divinis rebus eſſe parcendum, modo decus ſuum & Cæſaris dignitatem tueretur: & ſtipendii loco ſingulas Urbes, ſingulosque earum Cives, militibus inhumaniſſime diripiendas conceſſit, quo ipſe Sfortia ejecto principatu potiretur. Paulus Jovius libro 6.

10. Non leve exemplum eſt crudelitatis Hiſpanicæ, quod Rex Philippus II Eſcovedam per Sicarios curavit è medio tollendum, & cum Perezio egit, uti is culpam in ſe reciperet. Viduam & liberos Eſcovedæ, juſtitiam Regis ob cædem Eſcovedæ implorantes, variis artibus eluſit. Ex qua actione Arrago-

niæ

niæ Regnum maximum damnum percepit, occisis tot Nobilibus, & privilegiis ereptis, quod juri & libertati suæ status illius Regni visi fuerunt nimis rigide insistere, cum tamen omnis culpa in Rege resideret. Vide relationem rerum Perezii, Hagæ Comitis anno 1596 excusam. Et cum is fuga evasisset, ipsius uxorem prægnantem cum liberis & infante in carcerem conjecit, etiam ipsius amici in vinculis dati.

11. Anno 1610. Inquisitio Regem Hispaniæ permovit, ut Mauriscos omnes, quanquam non male erga Catholicos affectos, ex Regno Valentiæ, Granatæ, Andalusiæ, Murciæ, expelleret, & in Barbariam transportaret aliquam multa millia, ubi misere perierunt fame, siti, cædibus, & rapinis, partim à Barbaris, partim ab ipsis Hispanis in ipsos commissis. Mitigatum est quidem post hoc Edictum, & permissum, ut supellectilem suam vel secum portarent, vel distraherent, vel permutarent: Exceptis tamen gemmis, auro, argento, signatis & non signatis: Bona eorum immobilia

bilia sacris usibus, & fisco suo addixit. Metteranus.

CAPUT XXVII.

Hispanorum in America & India crudelitates & Barbaries.

QUia forte quis Hispanorum Excessus barbaros in Belgas commissos elevare velit, dicendo, eos hostes Regis fuisse, à Rege defecisse, & proinde eos non aliter ac hostes tractari meruisse, quanquam is modus corrigendi modum omnem excedere videtur: videamus nunc, num clementiores Indi, Americani, & alii extra Orbem nostrum habitantes Hispanos experti sint.

Juris Hispanum nihil omnino in eam gentem habuisse, quippe toto orbe ab Hispania divisam & suis Regibus gaudentem, nunquam etiam vel minima ratione Hispanum, ad arma provocantem, ipsi Hispani moderatiores fateri coguntur: & quod magis est, addunt, Hispanos, cum primo eo venissent, *non aliter* „
ac Deos, vel Deorum filios exceptos, „
habitos, & tractatos, & tantum „

" *non ut summa Numina adoratos, cultos*
" *& observatos.*

1. *Gentem*, scribit *Bartholomæus de Casa*, Ordinis Dominici Monachus & Episcopus, libro suo de Tyrannide Hispanica in India occidentali, Carolo V. & filio ejus Philippo inscripto, & anno 1552. Seviliæ apud Sebastianum Frugillum excuso, cujus autoritas instar o-
" mnium esse debet, *Esse pacificam in-*
" *star ovium, non admodum opibus de-*
" *ditam, non ambitiosam, paucis conten-*
" *tam, solitariam, & quasi eremiticam;*
" *contra quos venerint Hispani, tanquam*
" *rapacissimi lupi inter mitissimas oves, &*
" *non tantum ut lupi, sed ut Leones & Ty-*
" *grides.* Scribit idem, *in Insulis illis,*
" *spatio quadraginta annorum plures*
" *quam duodecim milliones hominum ab*
" *Hispanis confectos esse, imò plures quam*
" *quindecim milliones.* Capitaneus qui-
" dam vim intulit Regis Conjugi,
" eamque compressit. Infantes petris
" & saxis alliserunt, & cerebrum ex-
" cusserunt. Regulos & principes re-
" gionum lento igne excruciarunt, &
" concremarunt, canibus suis dilace-
" randos objecerunt: In ædes coar-
ctarunt,

ctarunt, & eas incenderunt, & sic exusserunt. Anacaonam Reginam suspenderunt, ut etiam aliam Reginam: viros superstites ad metalla damnarunt, uxores ad villas, ad opera rustica facienda, nihil vel parum cibi ipsis porrigentes, sic ut successu temporis, per illas separationes Regna ista plane incolis suis viduata fuerint: Utebantur iis loco Asinorum & mulorum, onerantes eos oneribus portatu impossibilibus per longissimas vias, sic ut de 4000 aliquando tantum sex reversi sint. Eripuerunt eis cibum & annonam omnem, sic ut aliquando fame ultra 30000 sint extincti. Prægnantes fœminas ad portanda onera adegerunt. Cogebant regulos, ut quod ipsi Hispani volebant habere, mancipia præsentarent. *In nova Hispania tempore duodecim annorum, Hispani plures quam quatuor milliones absumpserunt. In urbe Mexico, quadam vespera proditorie florem Nobilitatis occiderunt, postea multos cives*, &c.

2. Dicit idem Autor, Si tyrannides in *Guatimala* ab Hispanis exercitatæ, omnes conscribendæ essent, opus esset sesquipedali libro.

" Non aliter ab Hiſpanis *in Naco-&* " *Honduras* actum eſt, in quibus *ſpa-* " *cio duodecim annorum ultra duas mil-* " *liones hominum perdiderunt*. In Gua- " timala nonnullos ex principibus, " qui eos omni reverentia excepe- " rant, exuſſerunt. Nihil juvare mi- " ſeros Indos potuit, quod Hiſpanos " omnibus officiis demererent: ſed " potius illa benevolentia & ſimpli- " citas Hiſpanos magis crudeles ef- " fecit. Mille modis torquebant mi- " ſeros homines, ut exprimerent i- " pſis, ubi aurum abſconditum ha- " berent, projecerunt in foſſas pro- " fundas, puteoſque, in quibus a- " cuti, & ferro præpilati pali e- " recti erant, ut ſic iis incidentes " diu, miſereque torquerentur. Vi " parentibus filios & filias eripue- " runt, & in ſervitutem abduxe- " runt.

3. *In Regno Guatimalo tempore* " *ſedecim annorum plures, quam quin-* " *que milliones, diverſis cruciatibus Hi-* " *ſpani extinxerunt*: Captis Indianis " nihil edendum dabant, ſed licen- " tiam iis faciebant, ut alios India- " nos caperent, & eorum carnibus " veſcerentur: vim ingenuis uxori-

bus,

bus, & filiabus inferre Hispanis ,,
jocus erat. Coëgerunt Indos ad ,,
gravissimos labores, & onera por- ,,
tanda: sed nec cibi nec potus quic- ,,
quam exhibebant: sic ut in quo- ,,
dam tali itinere de 20000 milli- ,,
bus non 200 reversi sint. Rapie- ,,
bant Indis Idola sua cuprea, & rur- ,,
sus coëgerunt Indos, ut ea auro ,,
redimerent.

4. In Regno *Excalisco* 800 pagos exusserunt, filios principum pro mancipiis sibi vendiderunt, invicem; *in Iucatano* reguli filius pro caseo venditus est, & centum Indiani pro uno equo. Venationes, cum Indianis, sicuti cum feris instituerunt, & canibus dilacerandos objecerunt.

5. Jocus ipsis erat, pueris aures, nares detruncare, si qui ipsis non morigerari vellent. *Infantes ab uberibus maternis raptos in partes dissecuerunt: & canes iis paverunt.*

6. *Indiani sic ab Hispanis tractati sunt, ut ad nomen Christianorum horrescant, & malint in bello mori quam vivere sub servitute Hispanorum.* Utuntur Hispani Indis pro Urinatoribus ad margaritas, ex

profunditate extrahendas. quæ res eſt multo difficilior, moleſtior, quam labor in minariis, & metallariis. nam plerunque ſuffocantur, aut à monſtris marinis devorantur.

7. In Regno *Venecula* exitio *ultra quatuor vel quinque milliones hominum dederunt*. In Regno *Florida* pari ſævitia homines tractarunt, oneratis oneribus, & ſub onere in via ſuccumbentibus capita præciderunt, & eos ſic in viis reliquerunt. In Inſula *de la Plata ultra* 5000 *una vice occiderunt*, & eos qui ultro venerant ad ſervitia Hiſpanis facienda, etiam miſere trucidarunt.

" 8. In Inſula *Cuba tribus menſibus*
" 7000 *infantes* fame perierunt, pro-
" pterea quia Hiſpani matres conti-
" nuis laboribus & inedia ita exhau-
" riebant, ut lac in mammis exſicca-
" retur, & ita miſeri infantes ali non
" potuerint. Bartholomæus de la Caſa.

" 9. In duodecima ratione, *de la*
" *Caſa dicit*; *Hiſpania verſatur in ma-*
" *gno periculo, ne propter hanc tyranni-*
" *dem aliæ Nationes veniant, & Hiſpa-*
" *niam deſtruant &c.* Et ſub finem li-
" bri addit; Niſi Rex Hiſpaniæ aliter

Indianis

Indianis caverit & providerit, nihil certius esse, quam ut Deus Hispaniam gravissimis pœnis sit afflicturus, si non plane eversurus.

Hæc Hispanus de Hispanis scribit, sentit, prædicit, cujus eo major esse debet authoritas, quo major fides oculato testi, quam aurito haberi solet.

10. Sed cum Diphthera Jovis vix capere possit Crudelitates, Tyrannides, libidines, rapacitates, avaritias, nequitias, & malitias in India utraque, ab Hispanica gente exercitatas, excitatasque, his recensendis supersedebo, Benevolumque Lectorem ad eos, qui Navigationes Indicas & earum Regionum historias descripserunt, remittam. Inter quas maxime præter superiores excellit *Der West-Indische Spiegel durch Athanasium Inga Peruan von* Cusco, t' Amsterdam *by Broer Iansen.* Anno 1624.

11. Conqueritur Thomas Campanella Hispanus Monachus Dominicanus, discursu suo de Monarchia Hispanica, multis verbis de Hispanorum tyrannide, avaritia, sævitia &c. in India utraque exercita-

ta, capite ultimo, nempe 31 dicti discursus.

Caput XXVIII.

Hispanorum Rapacitatis & avaritiæ Exempla.

IUlius II Pontifex Romanus, *Hispanos volucres cœli* nominare solebat, superbiam eorum notans, & quod omnes reliquos homines super ire, & supervolare niterentur. Quod si omnino volucres nominare placuit, cur non potius aves Stymphalidas sive harpias nuncupavit? Cum notum sit, insatiabilem ejus gentis esse rapacitatem, furacitatem, & auri aviditatem; Regna amplissima, legitimis hæredibus pulsis, nullo vel in speciem juris titulo, invadendo, occupando, & depauperando, sacra profana, publica, privata, tactu immundo contaminando, & uncis unguibus rapiendo. Neapolitanum, Navarrenum, Lusitanicum ut jam omittam, saltem, quæ in Belgio, quæ in Indiis avare, rapaciter, furaciterque ab iis perpetrata attingam.

1. De

De duce Albano fide digni, & extra vanitatis aleam positi historici memorant, eum quotannis ex confiscatis in Belgio bonis collegisse octoginta amphoras, quas alias tonnas vocant auri, exceptis ordinariis tributis: sic ut *tempore sex annorum extorserit Provinciis Belgicis 52. milliones auri.* *NB.*

2. Insatiabilem auri cupiditatem comparandi, satis demonstrant exactiones *decimi nummi* rerum venalium, quem tam enixe *Status* deprecati, sed surdo fabulam narrarunt, quod diceret, nolle se eam exactionem remittere, *licet totum* " *Belgium ejus causa pessundandum, &* " *cœlum terræ miscendum.* " quæ etiam non postrema causa fuit, quod uniti Status arma induerunt, & Hispano obedientiam renunciarunt.

3. Hispani in Mechliniæ direptione anno 1572. Calendis Octobris, ne sacris quidem personis, sacræque supellectili abstinuerunt, sic ut Spolium ibi commissum æstimatum fuerit *aliquot millionibus* auri. *Mechlinia.*

4. In invasione & direptione Antverpiana an. 1576. IV Novembris, Hispani nullius cujuscunque reli- *Antverpia.*

gionis homini pepercerunt, nec parte pecuniæ contenti esse volebant, sed per fora & plateas discur-
" rentes clamabant, *Todo, todo*, totum,
" totum. *deneres & non palabres*, pecu-
" nia & non verba. plus quam barba-
" re cum civibus egerunt. mulieres
" nudæ in altum suspensæ, lapidipus
" immanis ponderis ad pedes appen-
" sis. aliis scipiones in pudenda in-
" jecti. aliæ per mammas, & viri de-
nique per genitalia, majori sævitia
" incertum, an fœditate, fidiculis
" distenti ex laqueari dependebant,
" sine cibo inter cruciatus & ejulatus
" relicti, donec vel ab aliis ingenti
" pretio redimerentur, aut ipsi, si
" quid occultaverant, indicarent.
" pueri & parentes torti, & inter
" tormenta exanimati. Inde ingens
" pecunia collecta, quæ ab hujusmodi rerum peritis ad 40 auri amphoras, hoc est, ad vicies centena millia aureorum æstimata fuit: in ea summa minime comprehensis gemmis, & pretiosis Cimeliis, aureis vasis, & argenteis. Thuan. l. 72.

5. Consiliarius *Sestius* ad Parmensem scribens, queritur, quod *Rodericus de Castro* ita exhauserit provin-

provinciam cui præerat, ut Clerus etiam veſtibus ad ſacra facienda de- ſtinatis deſtitueretur. Speculo Hiſpanicæ tyrannidis in Belgio. p. 86.

6. Capta *Luſitania* & Inſula *Tercera* vel Terrera, univerſa non ſolum Tertianorum, ſed etiam cæterorum Inſulanorum bona fiſco addicta: quod non tam ſeveritati " quam Gentis Hiſpanicæ ingenio " tributum, quod, innata dominandi " Cupiditate, ad firmandam poten- " tiam, nullum avaritiæ & crudelitati " modum facit. Thuan. l. 78.

7. Exactiones novas contra vetera privilegia *Neapolitanis* & Regno *Siciliæ* introductas, ob quas etiam aliquoties tumultuatum, hinc inde leges. Eædem etiam non minima cauſa fuerunt, quod *Catalo- ni* anno 1640. & *Luſitani* 1641 Regnum ſive jugum Caſtellanenſis Regis excuſſerint. Videantur eorum Apologiæ. Sexcenta alia exempla Hiſpanorum avaritiæ & rapacitatis in *Belgio* uſurpatæ, lubens omitto, legi ea poſſunt apud Thuanum, Metteranum, Eberhardum à Raid, alioſque, qui hiſtorias belli Belgici ſcripſerunt.

9. De *Indianis* vero quid dicam? Dies citius me relinqueret, quam omnia avaritiæ & rapacitatis, & exactionis Hispanicæ gentis apud miseros Indos designatæ exempla recenscam. Lectorem igitur ad ea, quæ, in capite 26 de Crudelitate Hispanicę Gentis in Indos scripsi remittam. Aut quia gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ ad *Bartholomeum La Casa*, Episcopum Hispanum, qui librum peculiarem de Hispanorum Tyrannide, ad Reges Carolum V. & Philippum eius filium misit, in quo horrenda & tremenda exempla extorquendi miseris Indis aurum, recenset. Sed videantur ea quæ supra, capite allegato, annotantur, ubi tandem concludit: *licet tantum auri & thesaurorum ex Indiis in Hispaniam avectum sit, nihil tamen res ibi viliores fieri, sed rerum omnium pretium quotidie intendi, quod, ait, manifestum signum maledictionis divinæ, imo, dicit, propter hos excessus, rapinas & extorsiones metuendum, ne Hispania plane ad alium Dominum devolvatur & evertatur.*

NB.

10. Scribunt proceres regni Catalonici, Hispanos ut se ipsos ditent,

tent, data opera bella protrahere, malunt enim divites in castris dici, quam victoriosi & pauperes in pace. c.8.

11. Testatur Thomas Campanella Hispanus Monachus Dominicanus in discursu suo de Monarchia Hispanica quod Hispani sint avari Capite. 27.

CAPUT XXIX.

Hispanorum Libidines & Adulteria.

Inter causas odii publici gentis Hispanicæ non omittendæ erant Libidines &, adulteria promiscua hinc inde, ubi rerum potiti sunt, admissa; Sed quia forte id exemplo communi exorbitationum militarium quodamodo excusare quis annitatur, etiam quia plura, quam ut in Syllabum hunc venire possint, satis erit, Lectorem ad authores & Scriptores remisisse: Thuanum, Metteranum, Eberhardum à Raid, & alios: unum tamen alterumq; in Belgio nostro commissa recitare quid vetat?

1. Anno 1598. Cum *Franciscus Mendoza* Iuliacensem, Clivensem Montensem ducatum vastaret, inter

alia etiam *Schlehenhorstium* nobilium puellarum Cœnobium spoliarunt, puellas virgines moniales in acervum coactas, & vestibus spoliatas constuprarunt. Thuan. l. 121.

2. Eodem tempore *Dussimontii judicem in sella alligarunt, & in conspectu ejus uxorem septem Hispani compresserunt.*

3. *Ad Gissicum pagum fœminam prægnantem, cum diu conatibus eorum restitisset, gladio in uterum adacto cum fœtu interfecerunt.*

4. *Bucholziæ, cum filiam Consulis vellent comprimere, & pater ei auxilio veniret, eum interfecerunt, & postea alligato patris cadavere ad corpus filiæ, eam ita per vim stuprarunt.* Ibidem.

Quam libidinem in Urbibus per vim occupatis exercuerint, vide supra in capite de Crudelitate Hispanorum.

5. Aliud memorabile exemplum per vim ab Hispano Centurione violatæ ad *Becurtum* pagum pudicitiæ generosæ vindictæ ab agricolæ *Ioannis Mileti* filia sumptæ, recenset Thuanus l. 66.

6. Et mox in eodem libro aliud, quo pacto Causidici filia à stupratore

Hiſpano pœnas exegerit, eum pugione ſuo interficiens, & quomodo is eam hæredem moriens inſtituerit, idem author enarrat.

7. Quam libidinoſe non ſolum cum liberis perſonis, ſed etiam conjugatis, imò etiam Reginis ipſis in Indiis ſe geſſerint Hiſpani, recenſet Bartholomæus de la Caſa Epiſcopus Hiſpanus in ſpeculo ſuo Tyrannidis Hiſpanicæ, ubi addit, quod adhuc ſe valde ob iſta facta jactarint, quaſi Herculeum facinus commiſiſſent, quod tot imprægnare potuiſſent. Sed fœditas rei non ſinit plura Exempla allegare: ipſa ſatis obvia in hiſtoriis, & in quotidiana eorum praxi. Quot philtra puellis & uxoribus propinata, deque aliis illicitis, ad illicitos concubitus, iis qui adhuc vivunt, (exempla odioſa ſunt viventium) conſtat.

CAPUT XXX.

Hiſpanorum vitia alia.

HIſpanis etiam hoc innatum eſt, ut præ omnibus aliis nationibus, admodum ſui & ſuorum amantes ſint & præcones, aliorum verò contemptores. *Philautia Hiſpanorum.*

1. Sic *Petrus Roycius* Mauræus Hispanus Poëta illo seculo, nempe 1548. non incelebris, aliquando famulos Langi Germani, & Oratoris Regis Ferdinandi mensæ astantes, atque dura pronunciatione & accento affectate voces Germanicas exasperantes illusit. *Germani inquit non loquuntur sed fulminant*; Et: (credo ego:) ad Langium Oratorem conversus ait, Deum ex indignatione hoc sermonis fulmine usum, cum primos parentes extruderet
" *Cui Langius Orator: Ego rursus inquit*
" *verisimile censeo, serpentem suavi &*
" *blando vocis Hispanicæ fuco usum;*
" *cum Evæ imponere vellet.* M. Adamus in vita Langii.

2. *Velleris aurei* oblatio studiosè & artificiosè ab Hispano Rege excogitata, ad pascendam hominum vanitatem, *illicium*. Sic Sigismundo Bathorio Pragæ anno 1597. solemni ritu torquem aurei velleris nomine Philippi Cæsar obtulit. Thuan. l. 119.

Insolentia Hispanorum.

3. Tanta Hispanorum insolentia, ut ne urgente quidem extrema necessitate suppliciter suam indigentiam explicare non liceat. Id quod

Comes

Comes Majoris montis in Sicilia suo cum damno expertus anno 1604. Is cum apud Proregem pro Insulanis verba faceret, ut modum frumenti exportandi præveniret, quod previderet fore, ut magna eius propediem esset futura sive caritas, sive penuria; Prorex & verbis contumeliosis acceptum comitem, quasi arrogantius secum locutum per Satellites in conspectu confodiendum mandavit. Thuan, l. 3. anno 1604.

4. Hispani studiose inter alios *dissidia* seminant, ut illi inde commodi sui messem faciant. Id quod in controversia & pacificatione Papæ cum Illustrissima Repub. *veneta* testati sunt anno 1606. tota res ex Thuano l. 137. descripta legitur: supra capite de Hispanorum prævericationibus in aliis regnis.

5. Hispanis Solenne est post pugnam vel Conflictum aliquem, solutionem urgere, & ea non apparente rebellionem movere, ut factum anno 1594. videatur Thuan. l. 59.

6, Habent & hoc Hispani in more, ut de aliis facile querelas moveant, cum ipsi potius accusandi.

Sic

Sic fecit Auſtrius anno 1577. qui per Legatum ſuum Ordines apud Cæſarem, Reginam Angliæ, & Septem viros accuſavit, quod pacem, quam ipſe violarat, non ſervarint. Thuanus l. 94. Idem, quod ipſi fecerunt, alios ejus accuſat, vel in alios culpam transfert.

7. Hiſpani ubique res novas moliuntur; ut ſi res in uno loco minus, in altero ſaltem ſuccedat.

8. Hiſpanos Sacrilegia committere, templa exurere, ſacramenta profanare, conqueruntur Catalonii in querela ſua Catholica cap. 4.

Caput XXXI.

Mendacia Hispanorum.

NEgat *Bartholomæus de la Caſa* Epiſcopus Hiſpanus contra *Sepulvendam*, verum eſſe, quod, ſicut Hiſpani in India ſcribunt, quotannis tot millia hominum ad Deum à Gentiliſmo per Hiſpanos convertantur: ſed hoc ait eſſe verum, " *Hiſpanos à tempore ſui ad Indos ingreſſus* " *plures Indos avaritiæ & rapacitatis ſuæ* " *cauſa mactaſſe & ſacrificaſſe, quam Indiani ſuis Idolis centum annis.*

2. Ait de la Caſa mendaciter,

Hiſpa-

Hiſpanos talibus criminibus ſimplices & innocentes Indianos apud Regem oneraſſe, qualibus nemo, etiam peſſimus, potuiſſet onerari.

3. Acute & argute *Catalonii* Hiſpanos perſtringunt, convincuntque in querela ſua Catholica, quod auſi fuiſſent eos apud Regem accuſare, quaſi caſtris anno 1640 ante Salſas relictis fugiſſent. Vide cap. 6. & 7.

4. Hiſpani Regi ſuo mendacia pro vero referre ſolent. Sic queruntur proceres Regni Catalonici, quod Hiſpani Regi perſuadere velint, Regnum Cataloniæ eſſe meram ſolitudinem, unde nulla utilitas ad Regem redeat &c. cap. 13. querelæ Catholicæ.

5. Hiſpanorum falſas accuſationes, delationes, & alia, quibus Regi nigrum album eſſe perſuadere conantur, egregie deſcribunt querela ſua cap. 30. quibus artibus efficitur, ut Regi male obediatur, & ſubditis male conſulatur.

6. Quam calumnioſè *Antonius Leva* Hiſpanus *Franciſcum Sfortiam* Mediolanenſem principem apud Carolum traduxerit, vide ſupra caput

caput de prævaricationibus in diverſa regna, & Paulum Jovium l. 6. Elogiorum.

7. Comiti *Saladino Iſenburgico in Montium* Hannoniæ expugnatione promiſit, ſi ſibi auſcultaret, fore, ut ipſum *Coloniæ* non tantum Archiepiſcopum, ſed etiam in ipſa Colonia Dominum conſtitueret, Truchſeſſius in literis ad Colonienſes. apud Thuan. l. 179.

8. Franciſcanus quidam monachus, ut Ferdinando regi Hiſpaniæ, *Iudæorum exterminationem* perſuaderet, clanculum tabulam è plumbo confecit, & in ea, quæ voluit de Iudæorum expulſione cum minis, niſi fieret, ſcripſit, loco ſacro abdidit, & per conſcium poſt triennium refodiendam curavit, quaſi divinam aliquam rem & prophetiam: Sed rex fraudem animadvertens, eam ſuſque deque habuit. Maiolus in Canicularib. 351,

9. Quomodo *Perezium* Caſtellani falſis teſtibus apud Arragonios captum obtinere conati ſint, leges in Relatione rerum ejus pag. 56. Calumnianturetiam eum, quod magicam calleat: quia apud omues

in

n bona gratia esset. Ibidem.

10. Pertinacia Hispanorum in malis suis propositis manifesta fit ex verbis *Ducis Albani*, qui cum Decimum nummum ab omnibus, quæ in foro vendebantur, exigere vellet, dicebat *se nolle à sua sententia discedere, licet omnes provinciæ essent amittendæ.* Item. *Prius fore, ut sol & stellæ lucem suam amittant, quam ipse velit exactionem decimi Nummi intermittere.* Olerus in Lauro Nassovica. *Superbia Albani.*

11. Etsi miserorum solum hominum Invidia creditur vitium, felicibus & divitibus suis invidere felicitatem & divitias, tamen hoc vitium invidiæ & Livoris nomine nuncupatum, ita animos Hispanorum insedit & occupavit, ut quasi hæreditarium id sibi fecisse videantur: Inde Illustrissimus Historicus Iacobus Thuanus de Alba Duce l. 75. meritorum fiducia summe ambitiosus, alienæ virtutis obtrectator, & *vitio gentis erga cæteras nationes contumeliosus & justo imperiosus ac severus,* & mox *Ducis Albani livore & invidia factum, quod Carolus V. Gonzagam ita ingratè tractarit.* ibid. *Invidia Hispanorum.*

12. Alibi

12. Alibi & de Hispanis Thuanus scribit, quod Hispani capti Vineosi homini Italo inviderint: ut fere *semper, vitio gentis. quæ sola habere*, neque cum quoquam honores partiri solet.

13. Cataloni admodum in querela sua Catholica ad Regem Philippum queruntur de invidia & livore, & consequenter de calumniis, quibus onerentur apud Regem, non respectu habito tot præclarorum meritorum, quæ ibi c. 6 & 7, recensentur: & ei ingratitudinem exprobant. vid. cap. 6, & 7.

CAPUT XXXII.

Hispanorum aliæ artes & technæ, rebus suis consulendi.

MOdi quibus Hispani in Regnis acquirendis utuntur, complurimi, sed inprimis sex sunt. 1. Persuasiones ad populos, & auditores in Concionibus parariis, præsertim Jesuiticis. Hoc modo actum in *Liga* illa Gallica contra Henricum III & Henricnm IV. *In Anglia* per Iesuitas emissarios. *In Lusitaniæ* Regni acquisitione. 2. Est vis armata. 3. Largitiones & Corruptiones,

ptiones. 4. Conjugia & Matrimonia. 5. Velleris aurei oblationes, proceribus variis, Fœderis Hispanici. 6. Si quem suspectum habent, aut è medio tollunt, ut *Egmondanum*, *Hornanum*, *Battenburgicos*, *&c.* Aut, si id non possunt, ex provinciis quocunque modo amandant: ut Mansfeldensem & *Mauritium Auraicum* bello Turcico præficere voluerunt, prolixe laudata ejus fortitudine & prudentia. Vide Thuanum l. 120.

2. Hispani semper iniquissime tulerunt, & adhuc ferunt, *Helvetiorum* cum Gallo confœderationem. Ideo cum Henricus Quartus anno 1602 fœdus cum Helvetiis renovare cuperet, Fontanus Regis Hispani Vicarius Mediolani nullum non lapidem movit, ut negotium illud impediret. Thuanus l. 129. ab initio.

3. Hispani nihil non faciunt, ut per Emissarios suos pecunia vel aliarum rerum spe corruptos & alienatos per bella civilia animos hominum ad se trahant, & ad publicam quietem turbandam, specioso religionis colore incitent: in omnes

occasiones

occasiones intenti, ut arcana Regũ rimentur, & ex eorum notitia in rebus suis consilium capiant, in corrumpendis hominibus, qui primariis Regni Officialibus vacant, omne studium suum ponunt Thu. l. 132.

4. Est hic modus Hispanis familiaris rebus suis consulendi, ut fœderationes impediant. Sic Petrus Gusmannus, Toletanus, Fontanus, Insubrum Prorex anno 1605. disturbandæ *Venetorum cum Rhetis* nuper contractæ fœderationi, edicta severa Mediolani condidit, quibus Commercii libertatem, utrisque incommodam reddebat, & loco designato quinque à Novo-Como milliaribus in rupe, quæ hinc inde Clavennam & Telinani Valles despicit, arcem quinque regalibus propugnaculis firmatam erexit, ac de suo nomine appellavit: ne quicquam frumenti vicinis importaretur. Inter Rhetos vero tot dissensionum semina sparsit ut res parum ab internecina pernicie abfuerit. Thuan. l. 134.

5. Carolus V. cum de *Genua*, ut rebus suis, cum multas ob causas, tum inprimis ad transportandas ex Hispania in Italiam copias opportuna

tuna, impoſterum firmanda, & arce in ea inſtauranda cogitaret, nullis rationibus, nec proprio quidem periculo, territo *Auriæ* perſuadere potuit, ut arcem urbi, hoc eſt jugum patriæ imponi pateretur: Itaq, aliam ſibi Civitatis frenandæ ineundam rationem exiſtimavit, eamque optimam judicavit, ſi Genuenſium pecuniam, qua ferè illorum conſtant res grandi fœnore paciſceretur, ſic enim brevi fore, ut hominum quæſtus dulcedine illectorum opes ſenſim ad ſe contraheret, & ita Urbem in ære ſuo, hoc eſt, civium ſtudia in poteſtate haberet. Qua arte, cum erga Genuenſes uſus eſſet, Carolus, & Philippus patris veſtigiis inſiſtẽs, & bello Belgico, ad quod damnoſis ſumptibus opus erat, implicatus, & ea occaſione ingentes ſummas, à Nobilium præcipue Ordine emunxit, pro quibus ingentes uſuras penſitabat, deſtinatis ad eas exſolvendas præcipuis Indiarum & Hiſpaniæ vectigalibus. Thuan. l. 61.

6. Anno 1577. Auſtrii & Eſcovedi interceptæ ſunt literæ ad *Philippum*, quibus ei inter alia etiam hoc ſuadent, *ut inter Nobilitatem &*

plebem in Belgio ob religionem & libertatem Conscientiarum ferat diffidia. l. 64.

7. Axioma autem Escovedi, quodque Schola Hispanica adhuc
" tenet præfracte, est, *Discordias inter*
" *proceres Orbis alendas & fovendas esse,*
" *ut qui universi non possunt, singuli car-*
" *pantur.*

8. Comitia & Conventus Hispanus inter proceres suos non concedit, quod ea rebus suis admodum damnosa judicet. Sic Lusitaniæ Regni proceribus ea plane interdixit. Thuanus l. 78 anno 1583.

9. Servat praxis Hispanica hunc etiam morem, ut legitimos hæredes ex avitis Regnis abducat, ut anno 1583, factum, cum Augusta Philippi soror, specie visendi sanctorum Monasterii, in quo puellæ, quas nihilominus ad matrimonium adoptare licet, religiosam vitam ducunt, *Iulianam LanCastrensem* Averni principatus hæredem, vix decenni majorem, secum duxit, frementibus Lusitanis, qui se eo exemplo quasi in miseram captivitatem a Castellensibus rapi interpretabantur. Thuanus l. 78.

Iuliana Castrensis.

10. Si

10. Sic etiam *Philippum Auraicum* Wilhelmi Auraici primogenitum ex Schola Lovaniensi in Hispaniam abduxerunt, & ibi detinuerunt.

11. Alio, sed magis detestabili utuntur modo rebus suis consulendi Hispani, ut Reges & principes per *emissarios & Sicarios* è medio tollant, sive id ferro, sive Veneno, sive alia ratione fiat. Sic Fontanus & Stephanus Ibarra subornarunt Emanuelem *Andradam*, ut *Henricum Quartum*, porrecto fasciculo ex variis floribus compacto, latente intus pestiferi odoris toxico necaret. Thuanus l. 109. Plura hujus generis exempla vide supra cap. 25.

12. Gravissimas querelas instituunt Catalauni in querela sua Catholica, de Hispanorum Calumniis, traductionibus, invidia, apud Regem Hispaniæ, c. 4, 5, 6, 7. Ubi inter alia dicunt, *Omnes Hispanorum* " actiones ab anno 1620. eò directas " fuisse, ut Catalaunos torquerent, " divexarent, privilegiis & immuni- " tate spoliarent, lites inter Reges & " Status sererent, regemque ad iram " contra Catalaunos provocarent, "

eosque hac ratione plane everterent; capite octavo dicunt, Hispani apud Regem Catalaunos turbarum accusant, cum ipsi primi pacis turbatores. c. 2.

13. Student Hispani, ut indigenis amotis, & ab officiis depositis, ipsi iis in officiis surrogentur, ideo non cessant, eos apud Regem traducere, calumniari, usque dum eos evertant. c. 34. 35.

14. Antonius Leva Hispanus Mediolani obsessus existimavit, *neque „ divinis, neque humanis esse parcen„ dum, modo decus suum, & Cæsaris Ca„ roli V. dignitatem tueretur & stipendii „ loco singulas urbes, singulosque earum „ cives militibus immanissimè dripiendos „ concessit* Paulus Iovius libro 6. Elogiorum.

15. Cæsar *Baronius* Cardinalis, quia tomo xi, Annalium suorum scripse„ rat. *Ius quod reges Hispaniæ in Siciliæ „ Regnum sibi sumunt, falsis & suspectis „ testimoniis niti*, per Hispanienses Pontificatus spe excidit. Et licet se purgaret per literas regi, tamen cum ipsi Annales Antuerpiæ recuderentur, vetitum est istum Tomum 11 recudere, Exemplaria etiam

Romæ

Romæ excusa in Regnis Regis (Hispaniæ) distrahere, sub gravi pœna interdictum. Thuan. l. 134.

16. Omnia Hispanorum Consilia eo tendunt, ut proceres provinciarum è medio tollantur, privilegia contrahantur, & libertates adimantur, nova vectigalia imperentur, & imponantur, provinciales ex opulentia pristina ad tenuitatem & miseriam redigantur. Illustrissimi Ordines in Responsione Swartzenburgio data anno 1575. Thuanus libro 60.

17. Hispani data opera imminutione & ereptione privilegiorum & immunitatum Belgas ad res novandas, vel arma sumenda irritarunt, tempore Ducis Albani, aperteq; jactarunt, *hoc unice et una se quærere, quo speciosiorem haberet prætextum, in bona & possessiones provincialium grassandi, provincias, Vrbes exspoliandi.* Speculum Tyrannidis Hispanicæ in Belgio p. 35. Sic Albanus Ultrajectinos privilegiis suis spoliavit anno 1571. ibid. Sic hoc nostro ævo Hispani Catalaunis nequiter, violenter, privilegia, libertates, & immunitates imminuerunt, infregerunt,

& eripuerunt, & omnia quæ ad abolitionem earum facere potuerunt, fecerunt. Status Barcellonenses & Catalauni in querela sua Catholica hinc inde, inprimis cap. 8, 12, 29.

18. Rex Philippus, cum Escovedum per Antonium Perezium curasset per Sicarios noctu in platea occidendum, ad invidiam declinandam, apud fratrem Joannem Austrium, cujus is erat Secretarius, & alios, cum Antonio Perezio egit, ut culpam omnem in se reciperet. id quod factum. sed hæc cædes Antonii in Arragonia causa fuit, ut multi Nobiles, Ignobiles, vitæ jacturam facerent, & Arragonii privilegiis suis privarentur. Vide historiam totam in Relatione Antonii Perezii Hagæ Comitis excusa, anno 1596.

19. Hispani, si quando publicum aliquod insigne facinus à Capitaneis vel Gubernatoribus commissum, ut id à se avertant, innocentem & immeritum aliquem gregarium militem prehendunt, & eum quasi succidaneam victimam pro suis delictis substituunt, & ultimo

suppli-

ſupplicio afficiunt. Exemplum hujus rei recenſet Janus Duza Satyra 40. ſub finem, in tumultu Ultrajectino. Et in incendio olim Duiſburgi Clivorum excitato, ſimilis caſus contigit.

20. Curandum eſt ut Baronum & Nobilium in Regnis extra Hiſpaniam ſitis ſed ſub Hiſpani Imperio habitantium filii magiſtros Hiſpanos habeant, qui Hiſpanizare illos doceant in habitu, moribus & modis Hiſpanicis. Poſtquam potentes evaſerunt, humiliet, & prætextu honoris ableget eos ad officia à dominatu ſuo longe diſſita, in quibus plus conſumant de ſuo quam lucrentur: quin etiam cum forte Rex evagatur, divertat apud illos, ut ſub titulo honoris maximas impenſas facere cogantur. Thomas Campanella Hiſpanus Monach. diſc. de Monarchia Hiſpan. c. 14.

21. Quamprimum Rex Hiſpan. auferat populis devictis bona immobilia, victum veſtitumque præbeat, jubeatque terram colere, filios vero milites vel agricolas faciat. Idem cap. 15.

Non oblivioni etiam tradenda

hæc praxis Hiſpanica, qua ſolent regulos comites, & eos qui in provincia, vel Regno aliquo potentiores reliquis, opibuſque inſtructiores, vel favore apud populares, gratioſiores in aulam Regiam evocare, quocunque prætextu excogitato, ſive legationis obeundæ, ſive rei militari præficiendos, qua ſpe illecti, nonniſi magnificentiſſimo apparatu comparere ſolent, ubi comparuerunt, nunc hoc nunc illud cauſantes, eos non annum unum, ſed aliquot differunt & detinent, ſic ut mora & expectatione illa, partem bonorum conſumant & prodigant, aliiſque oppignorare cogantur. quam praxin in Neapolitano Regno maxime obſervare ſolent.

Caput XXXIII.

Dicta & Apophthegmata variorum de Hiſpanis.

Indi dictum. Hiſpanus quidam *Fernandus Sotto*, in Inſulam Floridam veniens, *dicebat ſe filium Dei eſſe:* Huic
" quidam ex incolis reſpondebat; *Si*
" *Deus veſter, cujus te filium eſſe dicis,*
" *mandat, aliorum dominorum Regna,*
" *provincias & bona invadere, & ibi oc-*
cidendo,

cidendo, cadendo, rapiendo, torquendo, furando, vastando, scortando, adulterando &c. Omnis generis excessus perpetrare, aperte dicimus, quod in talem Deum credere non possumus.

1. *Alius Indus*, cum Hieronymo Benzone loquens dicebat, *quales homines essent Christiani* (Sic enim ibi Hispani dici volunt) *rapiunt nobis panem, mel, saccarum, vestes, uxores, filias, argentum, aurum, & quicquid charum habemus, nolunt manibus suis laborare, deceptores sunt, fures sunt, prædones & raptores: antequam eunt ad missam, inter se rixantur, digladiantur, mutuisque vulneribus se dilaniant.* Cum Benzo diceret, non omnes tales sunt, Indus respondebat, *Nullum adhuc bonum probumq; Hispanum vidi.* Joan. Petit in Chron. Holland. l.6. *Indus.*

2. *Petrus Royzius Mauræus*, Hispanus poëta illo seculo 1548. non incelebris, aliquando famulus Langii, Germani, & Oratoris Regis Ferdinandi, mensę adstantes, & dura pronunciatione & accentu affectate voces Germanicas exasperantes, isto joco irrisit. Germani, inquit, non loquuntur, sed fulminãt, &, credo ego, ad Langiũ conversus, ait, Deum ex

 indigna-

indignatione hoc ſermonis fulmine uſum, cum primos parentes extruderet. Cui Langius Orator; Ego
" rurſus, inquit, veriſimile cenſeo, *ſer-*
" *pentem ſuavi & blando fuco vocis Hi-*
" *ſpanicæ uſum, cum impoſuit Evæ.* M. Adamus in vitis J̀ctorum German. & in vita Langii.

2. Quanquam ſequens teſtimonium potius ad caput de Hiſpanorum janctantia referendum ſit, tamen ob antecedens dictum, nec hic alieno loco poſitum videri debet. HENRICUS *Doerhanus* profeſſor linguæ Hiſpanicæ, Italicæ, Gallicæque, in Academia Colonienſi, in præfatione Grammaticæ ſuę Hiſpanicæ anno 1614. Coloniæ apud Petrum Brackelium excuſæ, ſic ſcribit.

Quaſi-vero. *Omnes populi terræ viderunt ſuper Hi-*
" *ſpanos invocatum eſſe nomen Dei*, hoc
" eſt, *Deum eſſe in medio eorum protectorem eorum: hinc eſt quod omnes trepident, & eos metuant. Nec dubito, quin ſi porro pergant in ea con-* *Sed non Hollandi.*
" *ſtantia & zelo, ad amplicationem &*
" *defenſionem veræ religionis, & veræ*
" *pietatis, & ad obſervationem adeo ex-*
" *actam legum, tam divinarum quam*
" *humanarum, ex benedictione divina oc-*

cupent

cupent Monarchiam totius orbis terræ, & omnes gentes, nationesque & populos sibi subjiciant, (Sed aliud docuit Catalaunorum & Portugallensium actio, anno 1640) *sub suavi & gloriosissimo Christi jugo: tunc per eos implebitur, quod Dominus & servator noster dixit; Erit unus pastor & unum ovile.*

Væ ovibus sub tali Pastore!

3. Quidam de Corruptionibus per aurum & argentum Hispanicum dixit, *Hispanici Duplones duplices faciunt Nebulones.*

4. Alius, *Hispanos posse miracula edere* præ omnibus aliis. Rogatus, quomodo? dixit, in oris & ditionibus illis, ubi, & in quibus ante accessum Hispanorum panis primarius nunquam visus, vinum nunquam sumptum & gustatum, saccharum & aliæ delitiæ Indicæ non auditæ: ibi, postquam Hispani eò venerunt, ea omnia apparere & inveniri. nempe Hispanis homines miseros ita torquentibus, divexantibus, uti per 8 milliaria Coloniam & alias urbes summa hyeme currant, eaque pro Hispanis emant, ut possint vitæ suæ ab iis tuti esse.

5. Cardinalis *Granvellanus* ma-

xima apudCæsarem florebat authoritate, & omnia poterat. Is habebat in Insignibus suis tria capita
" porcina cum Symbolo. *Sic visum est superis*. quibus verbis alius subscri-
" psit, *Aquilam submittere porcis.*

Dicta variorum de Hispanorum fide, vide supra capite 17.

5. Martinus *Lutherus* dicere solebat, *quemadmodum Hispani aliter scribunt, quam legunt, sic aliter loquuntur, quam corde suo sentiunt.* parte 1. Apoph. Zuickgrefii. p. 258.

6. Cum aliquando sermo esset de Inquisitione Hispanica, celebris quidam librorum institor dixit. *Inquisitio potest quidem facere Hypocritas, solus autem Deus veros Christianos.* Zuicgrefius p. 1. Apoph. p. 351,

7. Cum quæstio esset mota, quo jure Hispanus Imperatori ipsi cuperet præferri; quidam hanc causam
" afferebat. *quia Europa est instar cor-
" poris humani, cujus caput Hispania:
" Italia pars, vel manus dextra; Dania
" sinistra. Gallia pectus: Germania ven-
" triculus: quia autem caput regit corpus
" reliquum: Sic etiam Hispania tanquam
" praesse debet reliquis.* Hoc *Livius Fincsius* Græcensis audiens dicebat, *Si*

hæc

hæc ratio valet, nos Germani vicimus. Nam hodie venter non ſolum reliquis membris imperat, ſed à maxima parte hominum ei tanquam Deo ſervitur. Julius Wilhelmus Zuicgrefius p. 1. Apophtheg.

8. In obſidione Franckenthalenſi capitaneus quidam inciderat in Hiſpanos, & cum illi vitæ gratiam promitterent, ſi ſe captum dederet, alta voce clamavit, *Non gratiam Hiſpanicam volo vel peto, ſed gratiam in cœlo*: & ſic pugnando multis vulneribus confectus eſt. Idem p. 361.

9. *Cum Hiſpani obnixe apud Carolum inſtarent, ut ebrioſos Germanos ex aula removeret.* Tandem *omnes Germanos convocavit, & iis Hiſpanorum petitionem indicavit, & ſimulavit ſe cum iis velle ex aula abire.* Hoc videntes Hiſpani obnixiſſime eum rogarunt ut maneret. idem p. 94.

10. Capitaneus quidam Hiſpanus quærebat ex quodam ſubdito Palatino; cur ita pertinaciter principi ſuo adhærerent, qui tamen cauſa fuiſſet, quod ita bello ab alienis attererentur, & exhaurirentur.

Ei

" Ei respondebat Subditus: *quid ni* " *amaremus illum, eique adhæreremus,* " *cum toto anno tantum ei non solveri-* " *mus, quantum vobis uno mense?* Znicgref. p. 1. Apoph. pag. 336.

11. Hispanus *Helvetios* vocabat Vaccimulgos. ei Helvetius adstans " regerebat: *Sumus Vaccimulgi: sed* " *habemus duas præcipue vaccas, quas* " *mulgemus, Regem Galliæ & Regem Hi-* " *spaniæ.* idem p. 2. Apoph.

12. Hispanus cuidam mortem " minabatur. Cui is; *Deus me hactenus* " *clementer à Diabolo liberavit, qui mul-* " *to pejor te, & potentior: etiam me à te* " *liberabit.*

13. Jacobus *Bongarsius* Legatus " Gallicus sæpe dicere solebat, *Natu-* " *ra & Hispani nihil faciunt frustra.*

14. Ait *Scipio de Castro* differt. de " Matth. in Belgium profectione: " Remedia quæ hactenus ad expur- " gandos humores Belgicorum Sta- " tuum adhibita sunt, legum scilicet " rigor, & vis armorum, nihil aliud " effecerunt, quam quod ægrotum " debilitarunt, medicum defatigarũt, " & ipsum morbum exasperarunt.

15. J. L. V. de Hispanis dicere so- " lebat: *Nulli Hispano fidendum, prius-*

quam

quam tres pedes in terram defossus & "
palis terra aliquot ei os obtectum sit. "

16. Cum Hispani *Lutheri* cadaver vellent effodere, & exurere, Carolus V. inhibuit; dixitque, *Sinite* "
eum quiescere. si male docuit vel vixit, "
Deus eum puniet. Ego Cæsar sum vi- "
vorum, non mortuorum, &c. Vide su- "
pra cap. 3.

17. Diverterat ad meritoriam *Pyrrhinunculus Vasco*, atque apposita mensa anaticulæ in lancibus perbelle unctæ atque alliatæ, ingreditur repente ad illum viator Hispanus, invectisque in anaticulam oculis, potes, ô amice, inquit, advenientem Comitem amicum accipere. Ibi Pyrrhinunculus, quo nomine esset, exquirit. audenter ille ac jactabundus, Alopantius, inquit, "
Ansimarchides Hiberoneus Alor- "
chides. Papæ, tum Pyrrhinunculus, "
quatuor ne hæc avicula heroibus & "
quidem Hispanis? absit injuria; ea "
Pyrrhinunculo satis est uni: minu- "
tos enim minuta decent. Simon Majolus in Canicularibus par. 4. pag. 326.

18. Hispani apud *Carolum* Germanos traducebant, eos præsertim,

qui in castris ipsius militabant, rogantes ut Edictum faceret, quo ipsis ebrietatem interdiceret. Quibus ipse respondebat, *Tantum eo edicto essem effecturus, quantum apud vos, si vobis scortationem, adulteria, & rapacitatem, interdicerem.*

19. *Indianus in eo erat, ut religionem pontificiam complecteretur, sed audiens Hispanos in cœlo esse, sententiam mutavit.*

20. Hispani rapuerunt Indis uxores, Indi ut eas liberarent, accurrebant; hoc videntes Hispani, uxores occiderunt. Indi hoc videntes, clamabant, *Alas ijras malais? Occiditis vos mulieres?* Sed hoc nihil novi apud Hispanos: Expertum est Belgium, & India utraque.

21. Dux Medinæ elocare volens filiam, scribebat ad Comitem Beijs, quod filiæ suæ 200 ducatos pro dote assignasset, *rogabat ut cum pallio rubro serico ad nuptias veniret.*

22. Cum *Carolus V.* cum Exercitu prope Wittebergam desideret, magnæ querelæ ad ipsum de adulteriis Hispanorum allatæ sunt, quod ubi audivit, ingemuit, & suspirans

ſuſpirans, ait: *Si Deus calamitatem* „ *& infortunium aliquod mihi immit-* „ *tet, nulli alii imputabo cauſam, quam* „ *libidinibus Hiſpanorum.* „

23. Quidam admodum commendabat Hiſpaniam, inter alia etiam Encomia hoc afferebat, quod omnis generis, aromata, condita, poma aurea, citrea, ficus, uvæ paſſæ &c. ex illis oris in noſtram terram afferrentur; Ad quod quidam ex aſtantibus, iſtam thraſonicam audiens commendationem, regerebat, *Omnia bona ſunt, quæ ex Hi-* „ *ſpania veniunt, excepto eo quod lo-* „ *quitur.* „

24. *Hector Vogelmannus* Cancellarius Würtenbergicus, quæſitus à Duce Würtenbergico Friderico, quid novi in Hiſpania vidiſſet, Reſpondit, *Montes ſuperbiæ & Valles Lachrymarum, & beatum eſſe eum, qui credat, etſi non videat.*

25. Hiſpanus videns Belgam capum coctum habere in menſa ſine pomis citreis, admirans exclamabat. Quid capus ſine pomis citreis? Belga invertebat & dicebat, quid poma citrea ſine capo?

26. Ca-

26 Captus quidam à Rege Ferdinando, rogatus cujas esset, respondit se esse Hessum. Cui Rex, Et hi antesignani nebulonum. Quærebat ubi vixisset? respondit, in Westphalia. Rex, & hi nihilo iis meliores. Sed, ut reliquum tempus transegisset, captus dicebat, in Bohemia: Rex, & hæc etiam ex triga illorum. Cui captus, *quæso rex populares suos Hispanos addat*, ut fiat quadriga, ut numerus compleatur.

27. *Ambrosius Spinola* in tractatione induciarum in præsentia *Mauritii* jactabat poma aurea, citrea &c. bis in Hispania maturari. cui *Mauritius Caseum Hollandicum monstrabat, dicens, & hi fructus nobis in Hollandia quot diebus proveniunt?*

CAPUT XXXIV.

Miscella & Descriptiones Hispanorum.

"Hispanorum Descriptionem suggerit Euphormio Lusininus in "Icone aminorum cap. 7.

"De regis Hispani molitionibus "in omnes reges orbis Christiani agit Ancellus orator regis Galliæ ad prin-

cipes Germaniæ 1597. apud Thuanum lib. 118. Cui addi debet reſponſio Daniæ, legatis à præpotentibus Ordinibus data anno 1597. apud Thuanum l. 119.

3. Bartholomæus de la Caſa Epiſcopus Hiſpanus, de inſcriptione tyrannidis Hiſpanicæ in India, variis epithetis & nominibus deſcribit Hiſpanos: inter alios etiam hos titulos tribuit, quod ſint *Infernales* ,, *tyranni: Imperii raptores: quod cupi-* ,, *ditate auri nimia vendiderint & adhuc* ,, *vendant, abnegarint, & adhuc abne-* ,, *gent Dominum noſtrum Ieſum Chri-* ,, *ſtum: non Chriſtianos eſſe, ſed Diabolos,* ,, *non ſervos Dei, ſeu miniſtros regis ſui,* ,, *ſed proditores, perditores, prædones, &* ,, *everſores legum & mandatorum Regis,* ,, *plagiarios, immites tygrides, rapa-* ,, *ciſſimos lupos, ſævos leones, homi-* ,, *nes peſtilentiales, quavis peſte cœlitus* ,, *immiſſa nocentiores, voraces Draco-* ,, *nes, feras beſtias, Laniones, Carni-* ,, *fices, &c.* ,,

4. Hiſpani profunda ambitione æſtuantes, *aula Romana.* apud Thuanum libro 137.

5. Julius II. Pontifex Hiſpanos vocavit *volucres cœli, propter ſuperbiam*

&

" *& elationem animi quod omnes homines*
" *quasi supervolare niterentur*, propos. Memorab.

6. Cardinalis ad quatuor Sanctos qui post Innocentius VIII.
" Pontifex, dicere solebat, *Hispanos*
" *sic ad imperandum ad amussim ac un-*
" *guem factos & natos ut in hac ne hilum*
" *quidem erroris committant.*

7. Julii Cæsaris Scaligeri tale est de Hispanis judicium in Ata ipsius.

" *Gloriæ alienæ irrisor ater Hispanus.*
" *Suæque mendax, prodigèque jactator,*
" *Rei expeditæ postulator est blandus*
" *Non consecutus, arte Punica extortor,*
" *Nam sontis artes obtinet vafras Mauri,*
" *A quo genus deducit impio injustum,*
" *Contemptor idem fastuosus, & dives*
" *Si quid potitus, nec facit pili divos,*
" *Hospes benignus, cum peregre adit primum,*
" *Herum suum salutat hospitem admirans,*
" *At postera cum illuxerit dies, vilem,*
" *In tertia serviliter domum tractat,*
" *Quartam tyrannus obsidet minis, plagis,*
" *Fugite, cavete fœminæ, canes, tecta,*
" *Dei penates, Dii lares penetrales,*
" *Abite, date locum Excetræ ignicervici*
" *Vos attigit si quinta lux, peristis jam,*
" *Ach Carcinoma, ac vomica generis humani,*
" *Cloaca mundi, fœtulenta Sentina,*
" *Inferna turba, Ditis ignei proles.*
" *Probrum supremi Dedecus Dei dirum.*

8. Ex Jani Duzæ 4 libro Epigram-

grammatum Publicum gentis Hiſpanicæ Odium.

Hoſtibus ut ſociis, ſociis velut hoſtibus uti
Fœderaque ad libitum frangere novit Iber.
Omnibus inviſus ſuſpectus, & omnibus idem
Quid reliquum eſt? Hoſtis fiat ut ipſe ſibi.

9. Idem Satyra 3.

A grege Marano vobis caveatis, & aulâ,
Perfida gens certe, & violatrix fœderis illa eſt.
Et ſi per genium juret, nomenque Philippi,
Perque ſuam, quæ nulla, fidem, per & omne quod uſquam,
Sacrorum ad Bætim eſt, atq; inteſtina Iacobi,
Nulla fides inerit. Perjura videt Iberûm
E vaticanâ Romanus Iuppiter arce, &
Ferre per aërias ventos jubet irrita nubes.

10. Idem Duza voracitatem & ingluviem Hiſpanorum pluribus deſcribit Satyra 4. ad Henricum Junium, non procul ab initio.

Hiſpanicam militiam plerunque conſtare & conflari ex ſentina & ſpuma generis humani idem author docet loco & Satyra citata.

11. Albani Ducis deſcriptiones plurimas leges apud Duzam hinc inde, ſed inprimis notabilis ea eſt, quam habet Satyra 6. in qua inter alia hæc:

Mancipium podagræ, lymphatus ſanguine mentem.
Atq; etiam Chiragrâ, Deodori more, laborans.
Perfidiæ columem, Scelerum Sartorq; Satorq;.

Qui

Qui pacem bello, bellum mutare suetus,
Pace, prout libitum est, propria ipse libidine porro.
Sanguineoque siti pro legibus: hostibus uti.
Pro sociis, socius didicit velut hostibus uti.
Sanguinis utrorumque & juxta civium & hospitum
Omnium item nostrum pariter communis hirudo.
Ore quibus veniam & pacem denunciat, ille.
Re bellum facturus, ut est mos omnibus istis.
Qui cum desperant armis se vincere posse,
Ad Pœnas fugiunt artes hæc anchora sacra est,
Obsequiisq; vafri grassantur & arte Pelasga
Vindicias obtestantes, Numina Divum.
Fœdera prætendunt magnis signata Sigillis,
Inque animos his se pigmentis insinuant clam
Scilicet ut miseros sua tandem in retia cogant
Incautos: itidem et noster facere Alba videtur.

12. Gallus quidam in refutatione Laurentii Swarezii de Electione Regis Galliæ, sic Hispanos describit: *Quod non solum execrando ac impio perduellionis crimine Franci (Henotici) caput obligarent, prodita* HOSTI *patria, ac nominatim* HISPANO, *& violata Imperii Franco-Gallici lege fundamentali, sed etiam extremæ dementiæ infamia traducerent, si religionis securitatem* GENTI *Infideli (Hispanis) maiorem partem Maranæ, quæ, nescire Deum, inter vulgaria peccata existimat, crederent, & uxores & liberos, &*

ros,& quicquid charitatum ac bonorum ſupereſt, MAVRORVM ALBORVM libidini, ac ſævitiæ, quorum mores ipſi ſubiecti populi ferre non poſunt, avare & crudeliter vexantes traderent, atque ita juſtiſſimum odium, ultionem, arma vicinorum populorum ac principum contra ſe provocarent, quibus merito Hispanorum Ambitio ſuſpecta & ſumme inviſa eſt, nihil aliud ſcilicet quærentium, quam ut religionis obtentu tyrannicam Dominationem ubique uſurpent, eoque prætextu ſimplicibus ad tempus illudant, improbis graſſandi licentiam concedant. Thuauus l. 106. 1593.

13. Hispani erga cæteras nationes contumelioſi. Thuanus l. 75.

14. In Antuerpiana direptione ita ſe Hiſpani geſſerunt, ut poſtmodum ipſi faſſi ſint, ſe plane *Diabolos incarnatos* fuiſſe. Spec. Hiſp. Tyrannidis. pag. 71.

15. De ſtatu moderno regnorum Regis Hiſpanis ita Status Catalaunici ſentiunt in querela ſua Catholica c. 32. *Flandria eſt in periculo: Res in Sabaudia retro feruntur; in Burgundia res Mandrabuli more ſuccedunt: in Germania nihil niſi infortunia: Italia expalliata: Hiſpaniæ omnes minantur:*

Res

" *Res in Biscaia non suo loco sunt in Lusi-*
" *tania sive Portugallia turbæ & contro-*
" *versiæ. Castilia plorat: Arragonia &*
" *Valentia suspirant. Catalonia cœli opem*
" *implorat: in Brassilia plurima amissa: in*
" *Brabantia multa perdita: Sylva Ducis,*
" *Trajectum Mosæ dominos veteres muta-*
" *runt: Hesdnium alium Regem nactum*
" *cujus vestigia aliæ urbes, quæ ibi recen-*
" *sentur, secutæ.*

16. Reges Hispaniæ ministrorum suorum actiones quantumvis tyrannicas & nefarias non solent vindicare, idque eam ob causam, ut iis sarta tecta maneat apud provinciales authoritas & respectus. Alphonsus de Vargas relatione stratagematum Jesuitarum c. 39.

17. Demonstrat Alphonsus de Vargas relatione sua de stratagematis Jesuitarum c. 58, quod miserabilior Hispaniæ quam Germaniæ motus, & quod Hispaniæ imminent bella Civilia, & quod Jesuitæ Hispaniæ & Germaniæ incendiarii.

Auß dem West-Indianischen Spiegel an-
" no 1624. zu Amsterdam getruckt.

" 18. Pag. 18. Ein Spanier ist eben geart/
" als der teufel / je mehr man dem guts thut / je
" mehr er einen plagt. Der aber nichts auff jhn
" acht / vnd nichts von jhm helt / den leßt er mit
frieden.

19. Die

Die Edlen vom Königreich Maguana, als die Spanische wolten haben / das sie sich unter den König von Hispanien solten begeben / und die Pabstische religion annemen / sagten unter andern / das sie nit sehen oder finden könten / " das sie ein besser religion würden annemen / " als sie werden verlassen / dieweil wir in Ewer / " d est, der Spanier thaten so viel tugent und " säligkeit nit sehen / als in der unsern. Unser " glaube sagten sie / hat uns niemals böses zuge- " fügt / dieweil unser götter beschützen unser reli- " gion, uns geneigt und zugethan sein: Aber ewer " (Spanier) religion bringt uns viel unheyl / " darumb können ewre götter nicht gut sein / und " die Christen werden nirgent willkom sein / wo sie " solche götter / und solche religion suchen einzu- " führen und anzustellen. West-Indianischer " Spigel Anno 1624. zu Amsterdam getruckt.

Caroli Quinti judicium de Hiſpanis, & monitio ejus de iis ad F. Philippum.

20. Cum Laudatiſſimus hic Imperator ex Belgio in Hiſpaniam eſſet diſceſſurus, provincias Belgicas & proceres earum, ob ſingularem fidem ipſi præſtitam, ob quam etiam maxime eos amabat ſummopere F. Philippo II. eos commendavit, ut nempe eos amaret, foveret, & promoveret, tanquam fideliſſimos ſubditos. Hiſpanis, quorum ingenia optime nota (quippe quos ſemper circum ſe habebat,) ipſi

 erant,

erant, non nimium indulgeret, aut permitteret, ut dicti proceres, vel subditi Belgicarum provinciarum ab iis contemnerentur, premerentur, aut injuria ulla afficerentur.
" Nam ajebat, *Suspectum admodum*
" *habeo innatum fastum & superbiam*
" *Hispanorum, ne si iis committantur*
" *Gubernacula regiminis, omnia convertant,*
" *pervertant, & evertant, navem-*
" *que in scopulos illidant.* Et cum non
" longe aliquot ex Nobilibus Belgi-
" cis abessent, digito in illos intento,
" porrò ad Filium dicebat: *Vides mi*
" *Fili istos proceres*, Illi sunt, quorum
" fide hactenus nixus sum, & *quibus*
" *maxime fisus sum, Nitere & tu illis &*
iis fide, &c. Sed filius hanc paternam Caroli V. monitionem in ventos & aquam scripsit, plus Hispanorum persuasionibus fidens, quam consilio patris. Quare etiam fructum, quem noluit, posterique ejus nollent, si res votis staret, sensit, messuitque.

Ex libro Belgico, Cui titulus Somnia Hispanica.

21. Conqueritur author dicti libri, visione secunda, p. 84, titulum DONN olim tantum summis

Magi-

Magiſtratibus in Hiſpania datum, ſed hodie etiam lixis & calonibus tribui.

22. Idem ait, *Hiſpanos propter in- „ natam crudelitatem etiam ipſis Diabo- „ lis eſſe terrori, ſicuti ipſe infernus eos „ ferre non poſſit.* „

23. Idem pag. 125. *Hiſpanos non „ ita ſobrios eſſe, uti multi putant, dicens, „ eos in propria menſa vivere ſobriè & „ parcè, ſed in aliena menſa eos quovis „ Milone Crotoniate eſſe voraciores, & „ potando cum quovis ex familia Bibulo- „ rum certare poſſe.* „

24. Somnio vel viſione tertia facete ſuperbia Hiſpanorum, ſub perſona cujuſdam Nobilis Hiſpani depingitur: qui ſe ita geſſit, ut Diaboli ex eo quærerent, an homo eſſet, ſed is diu nomen & ſtatum ſuum profiteri noluit, nihilque magis ei cordi erat, quam ne collare, quod ſatis capax, & ſinuoſum collum ejus circumibat, conturbaretur.

25. Hiſpani, quo inſtantius orantur & rogantur, quo abjectus eis ſervitur, occurritur, eo ſuperbiores, intractabiliores, & inexorabiliores efficiuntur. Contra quo animoſius eis reſiſtitur, quo durius ha-

bentur, eo tractabiliores & meliores efficiuntur. Philippus Baro in Winnenberg, ideo eos cum Diabo-
" lo ſolebat comparare, qui non me-
" lius, quam contemptu repellitur,
" cedendo & obſequendo acrius inſtat. ſic & Hiſpanica natio.

26. Licet his ſubjungere excerpta quædam ex Thomæ Campanellæ Monachi Dominicani natione Hiſpani, Diſcurſu de Monarchia Hiſpanica, ut quid ipſi veritas extorſit, lector norit. Capite 4. ait. Hinc (à Carthaginenſibus) orti Hiſpani, qui Carthaginenſium quoque aſtutias, mores & Deos amplexi. & paulo poſt, Quod ſi jam Hiſpania Tyri ſuperbiam etiam imitatur extollendo ſe ſupra Eccleſiam, quemadmodum Tyrus fecit, pejus quoque peſſumdabitur, nec imperii ſui terminos propagabit. Et in eodem capite legitur. Quantum ad ambitionem ejus (Hiſpaniæ) attinet, dico quod ſecuta domus Auſtriacæ auſpicia, humiliabitur.

C. 20. Hiſpani pleriſque omnibus nationibus exoſi. & ibidem. Hiſpanus ſervitio jam oppreſſus, ſatis humilis eſt, moreſque ſuos ſub Domino

mino exuit. Eſt præterea etiam jactator & aſtutus in rebus nauci, non vero in illis quæ alicujus momenti ſunt.

C. 23. Clima (Germanicum) Hiſpanos non fert. c. 27. facit differentiam inter Belgas & Hiſpanos talem. Belgæ candido colore ſunt proceri, licentioſi, vinolenti, Epulones, impatientes, indiſcreti, ſanguinei & liberales. At Hiſpani nigri, aſtuti, circumſpecti, ſobrii, continentes, patientes, diſcreti, melancholici, avari, truculenti & graves.

Et in eodem capite ait. Rex Hiſpaniæ univerſi orbis terrarum Dominus evadere poſſet, ſi unicam hanc (Belgium) regionem prius in ſuam poteſtatem redigeret, ubi etiam 30 & plures modos proponit quibus Belgium ſub jugum Hiſpanicum ſperat poſſe redigi, qui ibi videndi inter quos diſſenſio interna excitanda, & conjugia cum Hiſpanis vel Hiſpaniſatis contrahenda, nempe debere Hiſpanos ad artes Jaſonis confugere, & Medeam ſibi conciliare ·/. uxores Belgas in ſui amorem pertrahere cap. 27. imo c. 15. Regi Hiſpaniæ ſuadet ut per-

mittat militibus ſuis in Belgio, Anglia mulieres rapere quas poſtea uxorum loco habeant. Quod etiam in aliis locis ſuadet. Egregia vero doctrina hominis rebus divinis operantis.

27. Hiſpani deſpectores, conſulti, rapaces. Natan Chytræus fine delitiarum Itiner.

28. Violentia Hiſpanorum. Sebaſt. Munſterus l. 2.

29. Hiſpani elata jactantiæ animoſitate præpoſiti. Cornelius Agrippa c. 14. de vanitate ſcientia. & mox. Hiſpanos ab ingreſſu, & moribus, geſtibuſque feſtivis, vultu elato, voce flebili, ſermone eleganti, habitu exquiſito cognoſces. In cantu gemunt Hiſpani: in ſermone culti ſed jactabundi Hiſpani, in conſiliis aſtutus, in victu delicatus, in converſationibus cautus, in amoribus impatiens, in odio pertinax, in negotiis gerendis vigil, in militia callidus & rapax, inſignis in navigatione. Cornelius Agrippa. c. 54.

Hiſpanus ſævus, fallax, malefidus, avarus
Vt ſeſe oſtentet multa ſuperbus agit.
Furfureo cum pane domi veſcatur egenus
Sordeat & vacua ſemper inopſque caſa.

Non

Non artem exercet, non terram ſulcat aratro
Accinctus gladio nobilis eſſe ſtudet.
Hinc inculta jacent camporum millia paßim,
Atque deeſt vaſtis gnavus arator agris.
Fur, latro, inceſtus, ſtuprator, turpis adulter,
Quicquid agit, jactat nobilis acta viri.
AEdibus in ſacris plerumque ſuperſtitioſus,
Mente abſens vanas murmurat ore preces.
Et ſeges & lolium fundo naſcuntur eodem,
Idem homo virtutis fit vitiique capax.

Cornelius Kilianus in luſibus ſuis de nationibus.

Quia jam ſæpius Thomæ Campanellæ Hiſpani, Monachi Dominicani DISCURSUS de Monarchia Hiſpanica mentio facta, obiter indicandum, quia forte author non in omnium manibus, quem ſcopum ſibi propoſitum habuerit ea ſcriptione. Eſt autem is, conatur Regi Hiſpaniarum viam, modum & rationem aperire, quibus ad diu affectatam & ſomnoriam Monarchiam poſſit pervenire. Abſolvitur autem liber iſte capitibus 32. Prioribus ſeptem capp. generaliter agit de cauſis imperiorum c. 8. Incipit de cauſis & modis quibus Monarchia Hiſpanica poſſit in effectum deduci, ſed etiam in genere uſque ad c. 21. in quo de Italiæ Acquiſitione agit. c. 22. de Sicilia & Sardinia, 23. *Campanellæ ſcopus.*

nia. 23. de Germania perdomanda. c. 24. de Gallia ſubjuganda. c. 25. de Anglia, Scotia, Hibernia Regno Hiſpaniæ addendis. c. 26. de Polonia Moſcovia, Tranſylvania ſi non Regno Hiſpaniæ ſubdendis, ſaltem uniendis. c. 27. de Germania inferiori Belgio ſcil. ad obedientiam Regis Hiſpaniæ reducendo, in quo 30 modos & rationes rei conficiendæ proponit. 28. de Africa plane debellanda. c. 29. de Perſia & Cataja acquirendis. c. 30. de Turco coërcendo. c. 31. de Mundo novo acquirendo plane. c. 32. de Navigatione. In quo tractatu multa ſubtiliter, multa etiam ſatis monaſtice tractantur & proponuntur ſed vere de eo dici poteſt. Homo proponit Deus disponit, &, qui ſupra in altis ex alto iſtorum ridet conſilia. Et illud prophetæ. Conſultant ſed nihil proficiunt.

Conclusio.

Sed ſatis hæc, & ſcite plus quam ſatis. Si quis tamen erit, cui hæc non ſufficient, eum ad Hiſtoricos hinc inde citatos & allegatos remitto.

mitto. Mihi impræsentiarum satis fuit, puto etiam Lectori benevolo satis erit, demonstrasse, nullam esse gentem, cujus plura & majora extent in omnes sive in hoc, sive in altero orbe, nationes prævaricationum & exorbitationum documenta & nocumenta, quam ipsius Gentis Hispanicæ. Ideoque eam præ omnibus aliis nationibus, omnium nationum odium dignissime incurrere, eoque exerceri. Satis mihi erit, hac scriptione iis qui splendore auri Hispanici excæcati, vel offa donariorum Ibericorum inescati; Hispanicæ Genti, in patriæ propriæ ruinam, religionis, libertatis & privilegiorum patriorum oppressionem militare nulli religioni ducunt, demonstrare, eos non modo bonorum patriotarum officium non facere, sed potius eos Sinones esse, qui artibus suis muros & portas Hosti Communi aperiunt, pontemque struunt, quibus Ducateus ille Equus ad Ilion nostrum, ah Vere Ilion! invadendum incendendum, evertendum introducatnr. DEUS meliora illis & nobis. Amen.

Omissa quædam, hinc inde Capitibus ad marginem annotatis addenda.

Ad c. 1. HIspanos Pontificis Romani authoritatem non magni facere, si alias suis rebus hac ratione possint consulere, apparet ex bello quod Albanus nomine regis sui in Italia contra Pontificem anno 1556. gessit de quo Thuanus l. 17. & 18. ubi narratur quomodo Albanus etiam ipsam Romam capere constituerit.

Ad cap. 2. 3. 5. Hispanica factio Matthiæ Regi Hungariæ, pessima quæque interminatur si Austriacis & Hungaris liberum religionis exercitium concedat. Ex quo satis manifestum quanti faciant Domum Austriacam, quantum reliquos Catholicos, quanto odio flagrent in Reformatos Hispani. Eadem ratione Rudolphum Imperatorem in ordinem & in angustias redegerunt ob concessam libertatem religionis Bohemis & Silesiis, Metteranus l. 30. an. 1608. 1609.

Ad c. 3. Hispanorum plusqnam Vatinianum odium in religionem reformatam, docet Thuan. l. 28. in historia de Concilio possiaceno in Gallia

In-

Ingratitudinem Hiſpani in benemeritos & præſertim in Germanos docet Thuanus l. 16. ubi ſcribit Regem Hiſpanis ſuis ſtipendia ſolvere, Germanis præteritis. Maximè autem manifeſtum hoc facit Comes Henricus à Bergis, qui in Epiſtola ſua ad Sereniſſimam Iſabellam anno 1632. in qua inter alia quæritur, quod nullo reſpectu habito ſuorum meritorum Regi Hiſp. per 40 annos præſtitorum, quo tempore 6. fratres in bellis pro Rege geſtis amiſerit, non ſolum nulla gratia ſibi relata, ſed etiam artibus & invidia Hiſpanorum, in primis Marchionis de Leganes privatus ſit officio ſummi Ducis exercitus Regis, quod ubique pulſis Belgis præferantur, quod Hiſpani omnibus modis Belgas ſupprimant, & opprimant, nobilitatem Belgicam contemnant, quod omnem operam dent, uti bellum producant, quò ita magis magis provincias Belgicas exhauriant & depauperent: quod ægre ferant, ſi non ſemper primas in exercitu ducant: quod imaginem ejus Bruxellis glandibus trajecerint, & deformarint: quod literas Regis ad ipſum ſcriptas

Ad c. 17. 22.

interverterint & suppresserint. Quę posteriores querelæ ex Epistola ad proceres Brabanticos scripta desumptæ.

Ad c. 23. & 19. Parum vel nihil fidendum esse Pacificationibus Hispanorum docetur in responsione Procerum unitorum data legato Cæsareo Cochio, quæ integra legitur, apud Metteranum libro 20. anno 1605. 1. Maji.

Ad c. 22. & 31. Hispani quacunque ratione possunt Germanicæ nationi suam Celebritatem invident, obscurant, & obtenebrant id quod Avila fecit libro suo famoso & contumelioso, de quo Albertus Marchio Brandenburgensis anno 1522. conquestus est. Thuanus l. 9.

Ad c. 2. & 22. Quam inciviliter & duriter cives Moguntinos, suæ religionis homines, quibus ab Episcopo pro præsidio, numero 2000 dati erant, tempore eo quo Rex Sueciæ GUSTAVUS ADOLPHUS arma sua victoriosa in Germania circumtulit anno nimirum 1631. docent Historiæ ejus belli, præsertim Cornelius Danckhardus in Historia rerum Suecianum.

Cum

Cum Hiſpanus quidam duas mulieres occidiſſet, & ob hoc facinus morte afficiendus eſſet, Gubernator Gandenſis Hiſpanus dixit. Nefas eſſe, uti tam honorifica perſona in militia Regis Hiſpaniæ conſtituta (erat autem is miles gregarius) ob unius alteriuſque mulierculæ cædem morte afficeretur. Metteranus libro 27. anno 1606. *Ad c. 25.*

Joannes de Sylva Hiſpanus uxorem Barlemontii volens corrumpere, decem vulneribus à miniſtris aulicis vulneratus eſt. Metteranus l. 37. anno 1606. *Ad c. 29.*

Ex Inſula Lucayas Hiſpani ultra 10670. homines abduxerunt. In Venecula India Occidentali ultra 285000. paucis annis interfecerunt ferro, fame, freto &c. In Mexico ultra 220000. Sic ut in Inſulis illis non multis annis per Hiſpanos perierint plures quam 231146. homines. Vide Athanaſium Ingamſternanum, in ſpeculo ſuo Indiano; Amſtelrodami 1624 excuſo. *Ad c. de Crud. Hiſp. in India.*

Lector Amice.

Cum jam libellus hic ſub prelo eſſet; & tantum non ad umbilicum

licum deductus esset, incidi in Orationem WILHELMI VERHEIDEN GRAVIENSIS, quam habuit ad Serenissimam ELISABETHAM Reginam Angliæ in classem XERXIS HISPANICI, quæ licet digna esset uti tota hic appareret ob multa rara & præclara à Tyrtæo illo Geldrico ibi relata, sed ob causas possessori illius domi notas, cogitur adhuc domi Vestalem ignem custodire: tamen uti aliquem gustum illius benevolo Lectori præberem, quæ sequuntur inde libuit excerpere.

Primo, multus est in recensenda ambitione, avaritia, tyrannide Hispanorum & Regis Hispanorum. Pro exemplo adducit Siciliam utramque, Hispaniam, Insubriam, Campaniam, utrasque Indias, provincias Belgicas, Galliam, Britanniam, Poloniam, præter enumerata Regna etiam affert pro exemplo Portugalliam, Sardiniam deinde, & quidem oratione gravissimè monet principes orbis Christiani ut in tempore evigilent, operamque dent ne helluo iste Hispanicus, divitiarum & Regnorum orbis ulterius serpen-

do li-

do limites imperii promoveat, omnesque simul & semel opprimat.

Secundo in Regis Hispaniæ auxiliatores principes invehitur, cujusmodi tunc temporis Ernestus Dux Bavariæ, Episcopus Coloniensis, Dux Sabaudiæ, Guisii, Lotharingię, (NB. annon iidem Hodie,) quibus eandem mercedem ab Hispanis expectandam dicit, quam alii ante ipsos.

Dicit inter alia pacem cum Rege Hispan. esse Leoninam societatem.

Dicit miserrimos mortalium esse, qui maximorum præmiorum spe ducti Hispanis serviendo, favendo, exitium sibi, & suæ posteritati parant.

Dicit Pontificem qui Hispano nimis addictus Leonem pascere, qui aliquando voti sui compos Romanæ Lupæ Catulos discerpat.

Dicit Hispani cum avaritiam præda non possunt, immanitatem cædibus pascunt: quos nec Oriens nec Occidens satiaverit.

Dicit quod Hispani omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscant.

Dicit quod Hispani ubi solitudinem

nem faciant, palam appellent.

Quærit, In Hispania quid colimus, nisi crudelitatem, perfidiam, inhumanitatem, fastum, avaritiam impudentiam, omnem denique improbitatem, ut si aperta res non esset, mores ipsi & natura clamaret, In unam modo Hispaniam confluxisse omnes Gothorum Alanorumque fædes, & fæces Maurorum, & immanissimorum Barbarorum Colluviem &c.

Plura in eadem oratione erant, sed longum nimis foret omnia describere.

Quibus addenda erat ejusdem VERHEIDEN ADMONITIO ad orbis terræ principes, qui se suosque salvos volunt: inprimis ad Illustrissimos GERMANIÆ proceres anno 1587. mense Julio: sed prolixior illa quam ut temporis angustia pateretur uti describi posset & Typographus ad partum properabat. Lector benevolus igitur sic acquiescat, & suo tempore illam cum aliis ejusdem materiæ expectet.

Cicero 1. Officiorum.

Difficile est potestatem cupienti, servare æquitatem.

A N-

ANCELLVS REDIVIVVS.

sive Oratio

GVILIELMI ANCELLI,
Galli Oratoris,

ad

FRIDERICVM SEPTEM-VIRVM
Palatinum,

&

GEORGIVM FRIDERICVM,
Onoltzbachii-Marchionem.

Habitia Anno 1597.

Quem sic loquentem introducit Thuanus libro 118. ab initio.

DOlere sibi quod non citius ad eos venire potuerit, sicuti à Rege jussus erat, ut consiliorum nuper in Anglia & cum *Ordinibus Belgicis* initorum pro jure amicitiæ, & antiquæ fœderationis ipsos certiores faceret. Sed magnitudine negotii, quod non nisi mature explicari potuerit, & itinerum difficultate prohibitum fuisse. Negotii autem, quod instat, ante omnia causas exponendas. Eas à Philippi violentis consiliis originem ducere, qui XXXVI abhinc annis,

atque

atque ex quo in Hispaniam reversus est, nihil aliud animo agitavit, quam ut quod magnanimus & præpotens parens ejus frustra armis tota vita conatus fuerat, astu & fraudibus perficeret, & monarchiam totius orbis Christiani, principibus cæteris sub jugum intolerandum missis, usurparet; Principium à Rege Franciæ factum, cui tempore captato, quo post Henrici II excessum res omnis ad Reges minores ætate pervenit, eorum, Qui circa ipsos erant, operâ usus, impune tot modis illuserit. Neque sincerius fidem cum Angliæ Regina servasse aut Belgicis populis pro tot beneficiis vicem rependisse, quos religionis colore quæsito contra jurisjurandi religionem immaniter vexatos, tandem ad desperationem adegit, Quid enim non ab eo factum, imo quid prætermissum, ut auro, promissis, minis precibus populorum fidem sollicitaret; nobilitatis & procerum pudorem expugnaret, sacri ordinis quietem inextricabili bello involveret? eò rem videlicet tandem devenisse, ut per oratores suos peculiariter ob id missos non
erubuerit

erubuerit post Henrici III mortem apertè regnum Franciæ ambire, in quo jus illi nullum, & Deo res nostras, prosperante, unquam competet. Eadem audaciâ minime dubitasse classe immani Reginam Angliæ oppugnare, structis etiam vitæ Regis defuncti, & contra Regem qui nunc feliciter imperat, ipsamque Reginam Angliæ perfidiosè insidiis. Quoties idem adversus principem *Arausionensem* tentatum, ac postremo, cum ipsius, qui jussit, conscientiæ morsu, & publica universarum nationum offensione, exceptis unis Hispanis scelerum tantorum auctoribus, perpetratum? horrere ad insatiabilem ejus ambitionem cunctorum principum animos, & ipsius pontificis, quem plus justo facilem hucusq; expertus erat, gratiam in dies erga ipsum refrigescere. Nec proinde tamen aut publica indignatione territum, aut pudore conscientiâ revocatum ab injuriosis ac sanguinariis contra vicinos susceptis consiliis ipsum quiescere, tantam in animo ambitione cæco superbiam esse, aut alieni invadendi sitim accensam, ut opum, in quibus plus

plus præſidii quam in virtute propriâ reponit, fiducia nihil non facere audereve paratus videatur maximè omnium Regem Chriſtianiſſimum ab ea peſte infeſtatum præſertim poſtquam Hiſpanos Regno expulit. Nam ſtatim illos conjunctis copiis, quas prius divulſa habebat ad Regni limitem, quem bellis ſuperioribus ſumme debilitatum ſciebant omnem vim vertiſſe, & captatâ occaſione, cum Rex longe in Sequanis abeſſet, Camæracum civium defectione, qui nunc perfidiæ ſuæ ſub inſolenti Hiſpanorum dominatione pœnas abunde luunt, proditum occupaſſe. Et poſtea cum Rex itidem in Faræ ad Eſiam obſidione hæreret, Caletum & Ardeam cepiſſe: & nunc terra marique ingenteis exercitus inſtruere, ut anno proximo hinc Franciam, inde Angliam invadat, & profligatis, ſi Deo placet, florentiſſimis Europæ regnis, inſolenti faſtu cæteros deſpiciens ſolus in orbe Chriſtiano imperet. Ad hæc audenda facere illi animos Portugalliæ regnum nuper legitimis hæredibus ſpoliatis eodem jure, quod in aliis regnis ſibi vindicat ad

cat ad

:at ad ſuos principatus additum, ndiæque Orientalis opes cum eo umulatas, contra quas cum Rex xhauſto bellis civilibus, quæ Hiſpa- ıi de induſtria per tot annos in eo luerunt, regno, non habebat aut pum, aut hominum ſatis, quos oſſit opinor; ac merito verendum t, ne in tam juſtâ cauſa non ſolum um ſuo, ſed omnium vicinorum rincipum, quorum ditionibus, de- deriorum immodici Hiſpani in- iant, certiſſimo exitio ſuccumbat, quum & juſtum eſſe, ut illi quoque roprio periculo admoniti conſilia, ireis & opes conſotient. Nam empore & quiete diuturno opus ſſe, ut regnum ſplendorem priſti- um ac robur recipiat, quos per ſe ne alienis opibus, ut olim diſtur- andis tam potentis hoſtis conati- us par ſit, interea in communi pe- iculo propulſando commune auxi- um neceſſarium eſſe, Hiſpanos au- em homines ſagaciſſimos, & qui on ſine aliquo rerum ſuarum inter- rimento ambitioſa adeo conſilia oquunt, nihil non facere, quo con- unctionem illam impediant, ſparſis umoribus, quaſi in eo ſint, ut pro-
pediem

pediem cum Rege conveniant; im
petrata etiam à Cæſare & Imperi
aliquot principibus honorifica a
ordines Belgicos legatione, cum in
terim nullum tempus intermittant
colligendis viribus, qui Gallos, An-
gloſque atque adeo Belgicos ordi-
nes imparatos opprimant. Ea pro
pter Regem maturè cum Anglia &
Ordinibus fœdus iniiſſe, in eoqu
caviſſe, ut communi legatione Ger
maniæ principes ad eidem fœder
ſubſcribendum invitarentur. Se ol
id ad ipſos miſſum, ut tam Regis
quam Angliæ, & Ordinum nomine
qui & ipſi legatos ſuos miſſuri ſunt
roget, ne commune periculum ne-
gligant.

Quamvis enim Hiſpani conſcri-
pto exercitu, non recta fronte &
apertè Germaniam in præſentia-
rum invadere videantur, & Philip-
pus ipſe, qui non mediocrem in Im-
perio partem facit, ejus principe
ab omni metu ſecuros eſſe jubeat
ſic tamen prudentiores merito exi-
ſtimare, inexplebilem illius cupi-
ditatem Rheni finibus minime con-
tineri, & hoſteis apud eum repu-
tari, quicunque conſtituendæ uni-
verſi

verſi orbis Chriſtiani, quum tamdiu animo parturit, in familia ſua, monarchiæ remoram aut impedimentum aliquod afferunt.

Itaque nihil reliqui facere, quo principum miniſtros muneribus ac præmiis, interdum & minis corrumpat, eorumque opera dominos in poteſtate habeat, & ſpecie patrocinii undique circumſeſſos arbitrio ſuo circum agat. Exempla in Italia omnium oculis ſubjecta eſſe, in qua paucæ ſunt hodie ditiones, quæ non eo prætextu à S. Imperio avulſæ ſub crudeli Hiſpanorum jugo oppreſſæ gemant. Nec melius Germaniæ ſperandum, in quam jam Bercka ad Rhenum præter jus omne & æquitatem præſidio externo tenetur, & Strackenburgenſis arx in Weſtphalia in dies approperatis operibus munitur. Notæ in Haſſiam uſque Hiſpanorum ſuperioribus annis excurſiones. His initiis, quid non eos auſuros, facturoſque? Severam adeo & perverſam in Aquisgranenſium cauſa actionem per Philippicos inſtitutam nullum dubitationi locum relinquere. Quod vero & Palatini & Brandeburgici

principes

principes à Clivenſis ditionis admi-niſtratione omnino excluſi ſunt, & Cæſar partes ſuas eo in negotio Philippicorum inſtigatu interpoſu-erit, cæcis & nullo ſenſu præditis manifeſtum ſatisfacere, qno ambi-tioſa illorum conſilia tendant. Quid verò aliud ſibi velle ſuperbum illud edictum ante ſeptennium Madriti VIII. Idib. Mart. propoſitum, quo Philippus declarabat, ſe poſt purgatam Franciam, arma in eas omneis provincias, quæ peſte ſe-ctaria infectæ ſunt, converſurum; eo pertinere tam frequenteis ac to-ties repetitas de Rege Romanorum creando ſollicitationes, ut ſcilicet Cæſare gentili ſuo, antequam de ſomno capiendo cogitet, imperiali dignitate, tanquam veſte ſpoliatum, alium, qui ex ejus nutu pendeat, in vivi ſpirantiſque locum ſubſtituat. His argumentis & judiciis cum de injurioſis Hiſpanorum conſiliis con-ſtet, quid amplius cunctandum, an ut principes, quos ipſi graviter of-fenderunt, ultionem metuentes oc-caſione data opprimant; fruſtra Gallorum auxilium imploraturos, qui Gallis in tempore & in com-

muni

muni causa præsto non fuerint. Nam Gallis, dum deliberatur interim oppressis, & florentissimo regno, quod unum controversam universalis Monarchiæ causam Hispanis fecit, penitus profligato, cunctos necessitate imposita, sub Tyrannicum Hispanorum jugum transituros. Itaque Regem minime dubitare, quin Imperii principes, ad quos præcipue periculum spectat, imminentibus malis idoneum remedium quæsituri sint, & oblatum libentissime amplexuri, Nullum autem præsentius quam in fœderatione belli tam inferendi quam sustinendi remedium esse, cui tam potentissimi & primarii Europæ principes subscripsere. Nec excusationis loco accipiendum, belli in Hungaria gerendi necessitatem, cujus causæ qui patriæ charitate tanguntur, merito cætera omnia carissima posthabeant; tantæ quippe molis illud esse, tamquam formidabilem Turcorum potentiam, ut adversus eam vix conjunctæ omnes omnium principum vires pares esse possint, Quod si ita est, nihilominus facto Philippũ satis ostendere, se non ita de Turcis exi-

ſtimare, aut non ita bene erga Germaniam, cujus ſe præcipuum membrum jactitat, affectum eſſe; quippe qui communis patriæ periculum manifeſte negligat, & cum tam modicis auxiliis Cæſarem cæteroſque gentiles ſuos juvet, hoſtem tam formidoloſum contemnere videatur. Illum ſe Germania oriundum, atque adeo Germanum profiteri, cum vero de obſequio Imperii conſtitutionibus debito, aut Belgio ab Imperii collationibus exonerando agitur tunc ſe pro hoſpite & extero gerere, Neque verò mirum, ſi de magnitudine ſua, ex Francici nominis ruinis exſtruenda cogitat, cum per agnatæ familiæ in Germaniam everſionem ſuæ, quæ eadem eſt incrementum quærat, quodque jam antea patre patruoque ſuperſtitibus fruſtra tentavit, de Imperio in Hiſpaniam transferendo conſilia tamdiu intermiſſa repetat. Cum igitur duos præpotenteis cervicibus Germaniæ imminenteis hoſteis habeant, alterum vi apertâ graſſantem, indefeſſum, terribilem, inſuperabilem, alterum inſidiosè & per agnatorum principum ruinas ad Imperium

perium ſibi viam ſtruentem, caute videndum ipſis, utrum formidabiliorem exiſtiment, comparatione Alcorani cum Inquiſitione Hiſpanienſi facta, & an potius cum Orientali, quam cum Occidentali Turco ſibi rem eſſe velint. Et ſi quidem res merito ſuo ac ſemoto omni affectu privato æſtimetur, haud dubium eſſe quin optione data Orientalem eligant, quippe ut viribus præpollentem, ſic victis tolerabiliorem futurum. Et vero fruſtra de eo debellando cogitari quouſque impotenti nationi frœno impoſito, pax in orbe Chriſtiano ſarciatur, & per eum publica libertas, quam ſparſis ubique diſſidiorum ſeminibus Hiſpani oppreſſam eunt, conſtituantur. Sic enim fore, ut ſimul Franciæ regnum, cujus opem vicini populi ac principes ſemper ſalutarem experti ſunt, evehenti ſe nationis ubique gravis ſuperbię magnitudine ſuâ præponderet, tuncque ubi ab hoſte domeſtico quieverit, cunctos eo metu ſolutos, conjunctis animis ac viribus adverſus hoſtem omnino exterum arma experturos, quod inclinata nominis

Francici fortuna nequaquam ſperandum ex iis liquere, quam bene Imperio adverſus Turcicas invaſiones conſulatur, ſi fœdus propoſitum pro publ. libertate quamprimum ineatur, quantumque illis debitura ſit Germania, qui iciendo fœderi principium fecerint. Sed aliud rurſum impedimentum nonnullis cauſari, conſtitutiones nimirum Imperii, quę cum exteris fœdus iniri prohibent? quaſi vero ii ipſi, qui hoc objiciant, quique Imperii conſtitutionibus ut cæteri principes tenentur, non in hanc legem cottidie peccent, cum de ſumma Reipub. peroratores hinc inde commeanteis cum communi hoſte conſultant, atque adeo in gravioribus negotiis, de quibus in Germania, & inter Germanos decerni debet, quid Philippo Madriti & apud Eſcurialem ſedenti placeat, per veredarios miſſa reſponſa præſtolantur. Alioqui ſi hoc ſcrupulo generoſæ principum mentes attineantur, ad fœdam & indignam ſervitutem exponi Germaniam, & qui libertatis publ. vindices ubique prædicantur, ſuos minime futuros, Non ita laudabilis ad omnem poſteritatem memoriæ

moriæ Mauritium Saxonem fœderis cum Henrico II auctorem sensisse, cui Germania recuperatam libertatem debet ab Hispanis tunc oppressam, & nunc magnopere periclitantem, nisi mature subveniatur. Dissimulatione & nimia principum ac civitatum Imperii patientia malum crevisse, & nunc ingravescere, quod jam pridem depulsum oportuit, si validiora consilia atque adeo sana Regis Christianissimi monita locum habuissent. Nunc facto opus esse. Id rogare & urgere Regem, non tam sua causa, quam pro communi orbis Christiani salute ac libertate cui sua conjuncta est. Neque vero id agere ut icto statim fœdere oneri, quod in ipsum nunc incumbit, & mox in Imperii principes recasurum est, humeros subducat. Non petere ut illi arma capiant, nisi cogi se, eaque rebus suis salutaria sentiant. Non eos ad pulverem & sudorem bellicum vocare ut ipse deses in umbra latitet, decoris & officii oblitus. Jampridem & oblatam pacem repudiasse & gloriosum bellum, quam pacem degenerem semper maluisse Achillis exemplo, qui

quanquam à Thetide parente de fato ſuo monitus, ſi ad bellum Trojanum proficiſceretur, ſatius duxit vitam anguſtis annorum ſpatiis clauſam inter milites, tubaſque per famam extendere, quam in otio inter muliercularum greges, obſcure conſeneſcere. Ita Regem, cum opime ab Hiſpanis conditiones offerentur, ſi ab armis abſtinere vellet, maluiſſe periculo ſuo bellum perſequi, quam committere, ut plus de quiete propriâ, quam de amicorum principum ac vicinorum populorum ſalute ſollicitus fuiſſe videretur; neque id aut odio in Hiſpanos, aut vanitate, tractandorumve armorum, quibus innutritus eſt, deſiderio feciſſe abunde illi, de Hiſpanis toto regno, quod nuper ſpe & armis ſuis complectebantur, depulſis ſatis factum, & ad gloriam vixiſſe ſatis, qui vivus ſpiranſque incolumi fama fruitur. Quicquid acceſſurum eſt, potius præterita obſcuraturum quam illuſtraturum. Sed ea prudentia, quam omnes in eo norunt, præditum Regem ſic exiſtimaſſe, Philippum, ſi Gallis domi ſedentibus in expeditionibns ſuſceptis voti compos evadat,

at, ad tempus forte dissimulaturum
eterum odia nunquam depositu-
um, & arridente olim fortuna con-
ilia de Monarchia in familia sua
constituenda denuo resumpturum
ac postremo victricia arma in Gal-
os ab omnibus desertos, qui soli cla-
itudine sua luminibus ejus offi-
ciunt, conversurum. Eandem pru-
dentiam in Germaniæ principibus
Regem desiderare, ac multum pro
antiqua amicitia orare, ne tam op-
portunam occasionem è manibus
sibi eripi patiantur; sed periculo,
quod imminet, mature prævertant,
sicque sibi persuadeant, quam Regi
opem in communi causa tulerint,
eandem illis apud Regem, cum
tempora incident, paratam semper
fore. De conditionibus fœderi san-
ciendo interponendis & qua ratio-
ne sibi à rege caveri velint, liberam
ipsis deliberationem permittere, ce-
terum expeditum videri, dum am-
plius deliberetur, ut ante omnia ve-
nientibus ex Hispania & Italia co-
piis, & per limitem Germaniæ iter
fere facientibus, via præcludatur;
quod jam edicto proposito in suis
ditionibus Palatinum VII verum
fecisse

fecisse magna sua cum lætitia intelligat. Additæ à rege petitiones ut communibus principum sumptibus IV. cIↄ peditum Germanorum cIↄ equites per totum biennium alerentur, quibus Rex VIII cIↄ peditum Gallorum II cIↄ equitum & VI cIↄ Helvetiorum adjuncturus esset: idque ea lege, ut si contingeret Cæsarem & Philippum manu armata, in Juliacensem principatum aliasque fœderatorum ditiones impetum facere, Rex commodatas copias statim remittere teneatur, totidemque numero alias ex iis quæ stipendiis regiis merent ad eas adjungere, fœderatis in eo bello militaturas.

F I N I S.

81-05
7/3/80
Wm. H. Allen

